An. et vol. XXXXIII 5 Octobris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Conto corrente con la Posta

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Litterae Encyclicae, p. 625 - Litterae Decretales, p. 644 - Constitutiones Apostolicae, p. 654 - Litterae Apostolicae, p. 665 - Epistula, p. 672 - Nuntius radiophonicus, p. 673.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 678 - *S. C. de Propaganda Fide*: I. Provisio Ecclesiarum, p. 679; II. Nominationes, p. 680 - *S. C. Rituum*: Decreta introductionis causae Servorum Dei, p. 681.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine, pp. 687-688.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 800 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 4

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 75 — extra Italiam, Lib. 180 vel $ 0,25

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXIII, n. 14 – 5 Octobris 1951)

ACTA PII PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

PAG.

Sempiternus Rex Christus. – Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios, pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de Oecumenica Chalcedonensi Synodo quindecim abhinc saeculis celebrata. – 8 Septembris 1951 . 625

LITTERAE DECRETALES

Ad communem. – Beatae Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat, Congregationis Sororum a S. Familia fundatrici, Sanctorum honores decernuntur. – 23 Aprilis 1950 644

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. ABIDJANENSIS (de Bouaké). *Quo fructuosius.* – Vicariatus Apostolicus Abidjanensis bipartitur et nova erigitur Praefectura Apostolica de Bouaké nuncupanda. – 17 Maii 1951 . 654

II. DE MOUNDOU. *Christianae fidei.* – Praefecturae Apostolicae Garouensis et Arcis Lamy aliter circumscribuntur et nova erigitur Praefectura Apostolica, de Moundou appellanda. – 17 Maii 1951 656

III. WICHITENSIS (Dodgepolitana). *Fructuosius sane.* – A dioecesis Wichitensis territorio pars separatur et nova erigitur dioecesis, Dodgepolitana nuncupanda. – 19 Maii 1951 . . 657

IV. CALCUTTENSIS ET ALIARUM (Sambalpurensis). *Novarum dioecesium.* – E dioecesium Calcuttensis, Ranchiensis et Nagporensis territorio aliquot districtus civiles seiunguntur et nova exinde erigitur dioecesis, Sambalpurensis nuncupanda. – 14 Iunii 1951 . 660

V. DE LISALA - DE COQUILHATVILLE - BASANKUSUENSIS-STANLEYPOLITANUS (Isangiensis). *Enascentium.* – E Vicariatuum Apostolicorum de Lisala, de Coquilhatville, Basankusuensis et Stanleypolitani territoriis partes seiunguntur et nova erigitur Praefectura Apostolica, Isangiensis nuncupanda. – 14 Iunii 1951 663

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Almae Virgini.* – Ecclesia Deo in honorem B. Mariae V. sine peccati labe concepta dicata in oppido, quod « Batangas » appellatur, intra fines Lipensis dioecesis, titulo ac privilegiis Basilicae Minoris honestatur. – 13 Februarii 1948 665

II. *A qua una mortales.* – Beatissima Virgo Maria de Spe, vernaculo usu « de Radice » appellata, totius dioecesis Zamorensis in Mexico Patrona caelestis proclamatur. – 25 Septembris 1950 666

III. *Stat sublimis.* – Ecclesia Cathedralis Comensis Basilicae Minoris titulo honoribusque augetur. – 18 Ianuarii 1951 668

IV. « *Quasi plantatio rosae* ». – Ad dignitatem et honorem Basilicae Minoris evehitur paroecialis ecclesia S. Margaritae, V. et M., in civitate « Santa Margherita Ligure », intra fines Clavarensis dioecesis exstans. – 26 Ianuarii 1951 669

V. *Quemadmodum.* – Templum paroeciale in honorem B. Mariae V. Deo consecratum, in oppido « Portugalete » Flaviobrigensis dioecesis, Basilicis Minoribus accensetur. – 27 Februarii 1951 671

EPISTULA

In urbe Assisiensi. – Ad Emum P. D. Alfridum Ildefonsum tit. Sanctorum Silvestri et Martini ad Montes S. R. E. Presb. Cardinalem Schuster, Archiepiscopum Mediolanensem, quem Legatum constituit ad Eucharisticum Congressum e tota Italia Assisii ineundum. – 2 Augusti 1951 . . . 672

NUNTIUS RADIOPHONICUS

Christifidelibus e tota Italia ob Congressum Eucharisticum Assisii coadunatis. – 9 Septembris 1951 673

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 678

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiarum 679
II. Nominationes 680

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Pisana.* – Decretum introductionis causae pro beatificatione Servi Dei Iosephi Toniolo, viri laici. – 7 Ianuarii 1951 681

II. *Yenchowfuen.* – Decretum introductionis causae pro beatificatione Servi Dei Iosephi Freinademetz, Sacerdotis Missionalis Societatis Verbi Divini. – 22 Iunii 1951 684

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Nomine* 687

An. et vol. XXXXIII 5 Octobris 1951 (Ser. II, v. XVIII) - N. 14

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

LITTERAE ENCYCLICAE

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: DE OECUMENICA CHALCEDONENSI SYNODO QUINDECIM ABHINC SAECULIS CELEBRATA.

PIUS PP. XII

VENERABILES FRATRES

SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Sempiternus Rex Christus, antequam Petro, Ioannis filio, Ecclesiae polliceretur principatum, percontatus discipulos, quid de Se homines ipsique Apostoli sentirent, singulari laudavit praeconio fidem, cunctas infernas concutiones et procellas victuram, quam ille, caelestis Patris coruscante lumine, hisce declaraverat verbis: « Tu es Christus, Filius Dei vivi ».[1] Hanc fidem, quae Apostolorum coronas, Martyrum palmas, lilia Virginum parat quaeque est virtus Dei in salutem omni credenti,[2] tres potissimum Oecumenicae Synodi efficaciter tuitae sunt et luculenter collustrarunt: Nicaena nempe, Ephesina et Chalcedonensis; ex qua quidem peracta hoc labente anno quindecim revoluta explentur saecula. Decet autem ad laetissimum hoc

[1] Matth., 16, 16.

[2] Cfr. *Rom.*, 1, 16.

concelebrandum eventum tum Romae tum toto catholico orbe peragi sollemnia, quae, debitis persolutis Deo gratiis, omnium salutarium consiliorum satori, suaviter commoto animo indicimus.

Quemadmodum enim fel. rec. Decessor Noster Pius XI Sacrum Nicaenum Concilium anno MCMXXV in hac alma urbe sollemniter commemorari voluit, itemque Sacrum Ephesinum Concilium anno MCMXXXI per Encyclicas Litteras *Lux veritatis* in memoriam revocavit, ita et Nos hasce per Litteras parili aestimatione et cura Chalcedonense Concilium recensemus: Synodi quippe Ephesina et Chalcedonensis cum ipsam hypostaticam Verbi Incarnati unionem spectent, indissolubili vinculo inter se conectuntur; utraque iam antiquitus summo pollent honore tum apud Orientales, quos penes etiam liturgica commemoratione recoluntur, tum apud Occidentales, teste ipso S. Gregorio cognomine Magno, qui eadem extollens haud secus ac duo superiore saeculo celebrata Oecumenica Concilia, Nicaenum nempe et Constantinopolitanum, hanc mentione dignam protulit sententiam: « In his, velut in quadrato lapide, sanctae fidei structura consurgit, et cuiuslibet vitae atque actionis exsistat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra aedificium iacet ».[3]

Hoc sane eventum eiusque rerum adiuncta si intento animo considerentur, duo prae ceteris emergunt et eminent, quae, quantum fieri potest, in apricum proferre volumus: nempe Romani Pontificis primatus, qui e gravissima fidei christologica controversia aperte eluxit, ac magnum pondus atque momentum Chalcedonensis in re dogmatica definitionis. Illum ne morentur, maiorum suorum instituta et exempla secuti, debita vereri observantia ii qui, ob nequitiam temporum, praesertim in Orientalibus regionibus, ab Ecclesiae gremio et unitate sunt seiuncti; hanc, vero, purioribus mentis oculis, ad Christi arcanum penetrantes, integram tandem excipiant qui Nestorianis

[3] *Registrum Epistularum*, I, 25 (al. 24): *PL* 77, 478; ed. Ewald, I, 36.

et Eutychianis erroribus implicantur; eandemque altius et verius ii perpendant qui, nimio novarum rerum studio permoti, in mysterio, quo redempti sumus, dignoscendo sancte et inviolabiliter positos terminos aliquantum audent excutere. Omnes denique, qui catholico nomine censentur, validum inde incitamentum sumant, ut evangelicam incomparabilis pretii margaritam, labis immunem profitentes et servantes fidem, hanc animo et ore colant, addito, quod praecipuum est, suae ipsorum obsequio vitae, in qua quidquid absonum, indecorum, vituperabile est, auxiliante Dei misericordia, facessat et virtutum nitor refulgeat; ita enim eveniet ut Illius sint divinitatis consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps.

Iamvero, ut ex ordine procedamus, quae commemorantur res gestae ab exordio sunt repetendae. Totius controversiae auctor, quae in Chalcedonensi agitata est Synodo, Eutyches fuit, presbyter et in perinsigni Constantinopolitanae urbis coenobio archimandrita. Qui cum Nestorianam haeresim, ex qua duae in Christo asseverabantur esse personae, acerrime impugnaret, in contrarium incidit errorem.

«Multum imprudens et nimis imperitus»[4] obstinato praeter modum ingenio, haec adfirmabat: duo sunt distinguenda temporis momenta: ante Incarnationem duae erant Christi naturae, humana nempe et divina; post unionem vero una tantum extitit, cum Verbum hominem absorbuisset; ex Maria Virgine ortum est Domini corpus, hoc tamen non est nostrae substantiae et materiae; siquidem humanum idem est, non tamen consubstantiale nobis neque ei quae Christum secundum carnem peperit;[5] quocirca non in vera humana natura Christus est natus, passus, cruci adfixus et e sepulcro resurrexit.

Hac in re non animadvertebat Eutyches ante unionem nullo pacto humanam exstitisse Christi naturam, quippe quae ipso tempore Eius conceptionis esse coeperit; post unionem vero ab-

[4] Leo M. ad Flavianum (Ep. 28, 1: *PL* 54, 755 s.).
[5] Cfr. Flavianus ad Leonem M. (Ep. 26: *PL* 54, 745).

surdum esse opinari unam tantum ex duabus naturis coalescere, quia nulla prorsus ratione duae verae certaeque naturae ad unam reduci possunt, eo vel magis quod natura divina infinita ac immutabilis est.

Qui sana mente huiusmodi opinationes consideraverit, facile viderit totum divinae dispensationis mysterium in umbrarum inania et intractabilia defluere.

Hoc sane prorsus novum, absurdum, Prophetarum oraculis et Evangelii vocibus, necnon apostolico Symbolo et Nicaenae fidei sancito dogmati repugnantissimum, ex Valentini et Apollinaris caveis depromptum, iis qui recte sapiebant facile patuit.

In peculiari quadam Synodo, Constantinopoli coacta, cui Sanctus Flavianus eiusdem urbis Antistes praeerat, Eutyches, qui suos errores per monasteria pertinaciter et late disseminabat, ab Eusebio Dorylaei Episcopo haeresis aperte incusatus, condemnatus est. Quod quasi per iniuriam contra se esset factum, qui Nestorianam impietatem repullulantem reprimeret, ad nonnullorum Antistitum, quorum praepollebat auctoritas, iudicium provocat. Huiusmodi reclamationis litteras ipse Sanctus Leo Magnus, Apostolicae Sedis Antistes, accepit, cuius splendidae solidaeque virtutes, vigil religionis et pacis studium, veritatis et Romanae Cathedrae dignitatis strenua tuitio, modulatissimo eloquio par in agendis rebus dexteritas in inexplebilem sui admirationem cuncta aeva traducunt. Quo nemo alius videbatur efficientior et aptior ad Eutychianum errorem refellendum, quippe qui in allocutionibus et litteris suis pia magnificentia et magnifica pietate extollere et celebrare soleret unius personae geminaeque in Christo naturae numquam satis praedicandum arcanum: «Catholica Ecclesia hac fide vivit, hac proficit, ut in Christo Iesu nec sine vera Divinitate humanitas, nec sine vera credatur humanitate Divinitas».[6]

Atqui cum archimandrita Eutyches Romani Pontificis patrocinio diffideret, versus ad artes et dolos, per Chrysaphium, quocum arcta erat familiaritate coniunctus, imperatori Theo-

[6] S. Leonis M. Ep. 28, 5 (*PL* 54, 777).

dosio II carissimum, a principe impetravit, ut sua causa recognosceretur et Ephesi alterum cogeretur Concilium eidemque Dioscorus, Alexandrinorum Episcopus, praeesset. Qui illi perquam amicus et Flaviano, Antistiti Constantinopolitano, infensus, dogmatum falsa similitudine captus, dictitabat, quemadmodum Cyrillus, decessor suus, unam in Christo personam, ita unam in Christo post « adunationem » naturam se velle strenuissime defendere. Illuc, rei pacificandae causa, Leo Magnus Legatos mittere non recusavit, qui, praeter alias, duas epistulas deferrent, alteram ad Synodum, alteram ad Flavianum, ubi Eutychiana errata perfectae cumulataeque doctrinae nitore refutabantur.

At vero in hac Ephesina Synodo, cui a Leone « Latrocinium » merito inditum nomen, Dioscoro et Eutychete imperitantibus, omnia vi manuque misceri coepta sunt; Apostolicis Legatis primus in assessu locus denegatus; Pontificis Maximi litterae legi prohibitae; per dolos et minas Episcoporum suffragia extorta; praeter alios Flavianus haeresis crimine insimulatus, pastorali munere exutus et in vincula coniectus, ubi terrestri functus est vita. Furentis Dioscori eo postea temeritas processit, ut — infandum nefas — in apostolicae potestatis culmen excommunicationis telum intorquere sit ausus. Simulac res in praedatorio conciliabulo inique gestas ab Hilaro diacono pernovit, Leo cuncta illic decreta factave improbavit ac retractanda edixit, acerbo quidem moerore correptus, cuius et crebra materies erat etiam multorum deiectorum Antistitum ad ipsius iudicium provocatio.

Memoratu digna sunt ea quae tunc Flavianus et Theodoretus Cyrensis ad Summum Ecclesiae Pastorem scripserunt. Flaviani haec sunt verba: « Cum velut ex condicto quodam omnia adversum me iniqua procederent, post illam iniustam vocem quam contra me emisit [Dioscorus], sicut ipsi placuit, me appellante thronum Apostolicae Sedis principis Apostolorum Petri et universam beatam quae sub Vestram Sanctitatem est Synodum, statim me circumvallat multitudo militaris et vo-

lentem me ad sanctum altare confugere non concessit, sed nitebatur de ecclesia trahere ».[7] Theodoreti autem haec: « Si Paulus, praeco veritatis... ad magnum Petrum se contulit... multo magis nos humiles et pusilli ad Apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut Ecclesiarum ulceribus remedium a Vobis accipiamus. Vobis enim primas partes in omnibus tenere convenit... Ego Apostolicae vestrae Sedis exspecto sententiam... Ante omnia ut a Vobis docear oro an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, annon: Vestram enim sententiam exspecto ».[8]

Ad tantam labem delendam frequentibus litteris institit Leo Theodosium et Pulcheriam urgere, ut ii nimis adflictis rebus mederentur adeoque intra Italiae fines novum Concilium, Ephesina admissa purgaturum, cogeretur. Cum vero imperatorem Valentinianum III eiusque matrem Gallam Placidiam et coniugem Eudoxiam in Vaticanam Basilicam ingredientes, Episcoporum stipatus corona, excepisset, cum gemitibus et fletu, eis persuasit, ut pro viribus Ecclesiae ingravescenti squalori protinus praestarent remedium. Scripsit Augustus Augusto, ipsae scripsere Reginae. At frustra: Theodosius, astu et fraudibus circumventus, nihil quod perperam actum erat, emendavit. Cum autem ipse improviso interiit, eius soror Pulcheria imperio potita, Marcianum sibi coniugem et imperii socium accivit, qui ambo religionis et sapientiae laude sunt praeclari. Tum Anatolius, qui in Flaviani locum a Dioscoro, violato iure, suffectus erat, Leonis ad Flavianum de Incarnatione Domini epistulae subscripsit; Flaviani exuviae illustri pompa Constantinopolim translatae; deturbati e suis sedibus Episcopi in pristinum restituti; ac communis Eutychianae contagionis detestatio invalescere coepit, ita ut haud amplius videretur indicendum esse Concilium, eo vel magis quod ob barbarorum incursiones Romani Imperii status tutus non erat.

[7] Schwartz, *Acta Conciliorum Oecumenicorum*, II, vol. II, pars prior, p. 78.

[8] Theodoretus ad Leonem M. (Ep. 52, 1. 5. 6: *PL* 54, 847 et 851; cfr. *PG* 83, 1311 s. et 1315 s.).

Nihilo secius hoc habitum celebratumque est, Imperatore optante, Summo autem annuente Pontifice.

Chalcedon erat urbs Bithyniae, prope Bosporum Thracium, e conspectu Constantinopolis, quae in opposito litore est sita. Huc in amplissimam suburbanam basilicam S. Euphemiae Virginis et Martyris octavo Idus Octobres a Nicaena urbe profecti, ubi hac de causa iam congregati erant, una convenere patres, omnes ex Orientalibus regionibus, duobus Afris exceptis domo profugis.

In meditullio Evangeliorum posito codice, ante sacri altaris cancellos undeviginti Imperatoris et Senatus procuratores sedebant. Pontificiae Legationis munera obierunt religiosissimi viri Paschasinus Lilybetanus in Sicilia Antistes, Lucentius Asculanus Episcopus, Bonifatius et Basilius presbyteri, quibus additus est Iulianus Coënsis Episcopus, ut iis curam actionemque suam adiutricem impenderet. Romani Pontificis Legati, primi inter Episcopos considebant; primi nominantur, primi loquuntur, primi actibus subscribunt; delegata, qua praediti sunt auctoritate, aliena roborant aut reiciunt suffragia, ut manifesto contigit in damnatione Dioscori, quam hisce verbis ratam habuerunt: « Sanctissimus et beatissimus Archiepiscopus magnae et senioris Romae Leo, per nos et per praesentem sanctam Synodum, una cum ter beatissimo et omni laude digno beato Petro Apostolo, qui est petra et crepido catholicae Ecclesiae, et rectae fidei fundamentum, nudavit eum [Dioscorum] tam episcopatus dignitate, quam etiam et ab omni sacerdotali alienavit ministerio ».[9]

Ceterum Pontificios Legatos non solummodo praesidendi auctoritatem exercuisse, verum etiam ab omnibus conciliaribus patribus, nemine adversante, iis praesidendi ius et honorem agnitum esse liquido constat ex synodica epistola ad Leonem missa: « Tu quidem — iidem scribunt — sicut membris ca-

[9] Mansi, *Conciliorum amplissima collectio*, VI, 1047 (Act. III); Schwartz, II, vol. I, pars altera, p. 29 [225] (Act. II).

put, praeeras in his qui tuum tenebant ordinem benevolentiam praeferens ».[10]

Nostrum non est hic singula synodalia gesta revolvere, sed praecipua tantum, prout veritati in lumine collocandae et religioni fovendae utilia sunt, breviter attingere. Itaque non possumus, cum de Sedis Apostolicae dignitate quaestio agitetur, illius Concilii canonem XXVIII silentio praeterire, quo Constantinopolitanae episcopali sedi, utpote imperiali urbi, alter post Romanam sedem honoris locus tribuebatur. Quamvis ibidem nihil contra divinum iurisdictionis primatum, qui quidem pro explorato habebatur, actum esset, tamen idem canon, absentibus ac dein contradicentibus Pontificiis Legatis conflatus, atque adeo clandestinus et subrepticius, quavis iuris vi destitutus est et a S. Leone multas per litteras reprobatus et damnatus. Cui, ceterum, rescissoriae sententiae acquievere Marcianus et Pulcheria, imo etiam et ipse Anatolius, qui male ausum excusans, ita ad Leonem scripsit: « De his autem quae Constantinopolitanae gratia sedis sancita sunt in Chalcedonensi nuper universali Synodo, pro certo Beatitudo Vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me..., sed Constantinopolitanae Ecclesiae reverendissimus clerus est, qui hoc habuit studium...; cum et sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati Vestrae Beatitudinis fuerit reservata ».[11]

At veniendum denique est ad totius causae cardinem, videlicet ad sollemnem catholicae fidei definitionem, qua Eutychetis perniciosus error repudiatus et damnatus est. In eiusdem Sacrae Synodi actione quarta imperialibus proceribus id poscentibus, ut novum fidei Symbolum conderetur, Paschasinus Pontificius Legatus, communis voti interpres, respondit minime hoc oportere, cum fidei Symbolorum et canonum ab Ecclesia receptorum satis iam esset: inter quae, hac super causa, primas agere partes epistulam Leonis ad Flavianum: « Tertio vero

[10] Synodus Chalcedonensis ad Leonem M. (Ep. 98, 1: *PL* 54, 951; Mansi, VI, 147).

[11] Anatolius ad Leonem M. (Ep. 132, 4: *PL* 54, 1084; Mansi, VI, 278 s.).

[id est post Symbola Nicaenum et Constantinopolitanum eorumque declarationem a S. Cyrillo in Ephesina Synodo peractam] beatissimi atque apostolici viri, universalis Ecclesiae papae Leonis, Nestorii et Eutychetis haeresim damnantis, directa scripta, quid vera fides habeat, exposuerunt. Similiter vero et sancta Synodus hanc fidem tenet, hanc sequitur ».[12]

Iuvat hic memorare praegraves huiusmodi S. Leonis de Verbi Incarnatione litteras ad Flavianum in tertia Concilii actione recitatas esse; ac vixdum anagnostae vox conticuerat, omnes qui aderant uno animo et ore conclamasse: « Haec patrum fides, haec Apostolorum fides. Omnes ita credimus, orthodoxi ita credunt. Anathema ei qui ita non credit. Petrus per Leonem ita locutus est ».[13]

Post haec, summo omnes consensu professi sunt Romani Antistitis documentum cum Nicaeno et Constantinopolitano Symbolis plane et perfecte convenire. Nihilo secius in synodali actione quinta, iterum iterumque Marciani ac Senatus procuratoribus id efflagitantibus, a lecto Consilio ex variis regionibus Episcoporum qui in oratorio aedis S. Euphemiae convenerant, nova exarata est fidei definitio; eaque ex prologo quodam, ex Symbolis Nicaeno et Constantinopolitano tum primum promulgato et ex sollemni Eutychianae doctrinae condemnatione constat. Hanc vero fidei regulam conciliares patres unanima consensione comprobarunt.

Rei pretium esse nunc, Venerabiles Fratres, putamus, ut in enucleando Romani Pontificis documento, praeclarissimo catholicae fidei vindice, aliquantisper immoremur. Ante omnia contra Eutychem haec asserentem: « Confiteor ex duabus naturis fuisse Dominum nostrum ante adunationem; post adunationem vero unam naturam confiteor »,[14] haud sine animi indignatione ita fulgurantis veritatis iubar sanctissimus Antistes opponit: « Miror tam absurdam tamque perversam eius profes-

[12] Mansi, VII, 10

[13] Schwartz, II, vol. I, pars altera, p. 81 [277] (Act. III); Mansi, VI, 971 (Act. II).

[14] S. Leonis M. Ep. 28, 6 (*PL* 54, 777).

sionem nulla iudicantium increpatione reprehensam...; cum tam impie duarum naturarum ante Incarnationem Unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quam nefarie postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur».[15] Neque tenuiore impetu Nestorium, qui in devii itineris contraria ruit, idem percellit: «Propter hanc ergo unitatem personae in utraque natura intelligendam, et Filius hominis legitur descendisse de caelo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine de qua est natus, assumpserit. Et rursus Filius Dei crucifixus dicitur ac sepultus, cum haec non in Divinitate ipsa, qua Unigenitus consempiternus et consubstantialis est Patri, sed in naturae humanae sit infirmitate perpessus. Unde Unigenitum Filium Dei crucifixum et sepultum omnes etiam in Symbolo confitemur».[16]

Praeter utriusque in Christo naturae distinctionem perspicue illinc evincitur distinctio quoque proprietatum et operationum, quae geminae sunt illius naturae: «Salva igitur, ait, proprietate utriusque naturae, et in unam coëunte personam, suscepta est a maiestate humilitas, a virtute infirmitas, ab aeternitate mortalitas».[17] Et rursus: «Tenet enim sine defectu proprietatem suam utraque natura».[18]

Attamen duplex illarum proprietatum et operationum series uni Verbi Personae attribuuntur, quia «Unus ... idemque est... vere Dei Filius et vere hominis Filius».[19] Unde: «Agit enim utraque forma cum alterius communione quod proprium est, Verbo scilicet operante quod Verbi est, et carne exsequente quod carnis est».[20] Usitata hic apparet idiomatum, ut aiunt, communicatio quam Cyrillus contra Nestorium iure vindicavit, solido hoc innixus effato utramque Christi naturam in unica Verbi persona subsistere, Verbi nempe ex Patre ante

[15] Ibid.

[16] Ep. 28, 5: *PL* 54, 771; cfr. Augustinus, *Contra sermonem Arianorum*, c. 8 (*PL* 42, 688).

[17] Ep. 28, 3: *PL* 54, 763; cfr. S. Leonis M. Serm. 21, 2 (*PL* 54, 192).

[18] Ep. 28, 3: *PL* 54, 765; cfr. Serm. 23, 2 (*PL* 54, 201).

[19] Ep. 28, 4 (*PL* 54, 767).

[20] Ibid.

saecula geniti, secundum divinitatem, et ex Maria, secundum humanitatem, in tempore nati.

Haec ex Evangelio hausta celsaque doctrina, id haud diffitens quod in Ephesina Synodo decretum fuerat, reicit Eutychem, dum non parcit Nestorio; eidemque absolute perfecteque resonat Chalcedonensis Concilii dogmatica definitio, quae pariter in Christo duas distinctas naturas unamque personam perspicue et presse pronuntiat his verbis: « Sancta et magna et universalis Synodus... [eos], qui duas quidem ante unitatem naturas Domini fabulantur, unam vero post unitionem confingunt, condemnat. Sequentes igitur sanctos Patres, unum eundemque confiteri Filium et Dominum nostrum Iesum Christum consonanter omnes docemus, eundemque perfectum in deitate et eundem perfectum in humanitate, Deum verum et hominem verum, eundem ex anima rationali et corpore, consubstantialem Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem per omnia nobis similem absque peccato: ante saecula quidem de Patre genitum secundum deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos et propter nostram salutem ex Maria Virgine Dei genitrice secundum humanitatem; unum eundemque Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis inconfuse, immutabiliter, indivise, inseparabiliter agnoscendum; nusquam sublata differentia naturarum propter unitionem, magisque salva proprietate utriusque naturae, et in unam personam atque subsistentiam concurrente: non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium et Unigenitum Deum Verbum, Dominum Iesum Christum ».[21]

Quodsi quaeratur, quanam ex ratione id contingat, ut in oppugnando errore tanto nitore tantaque efficacitate Chalcedonensis Concilii elocutiones praepolleant, inde remur potissimum hoc provenire, quod ibidem, qualibet amota ambiguitate, propriissima nomina adhibentur. Etenim in Chalcedonensi fidei definitione vocibus personae et hypostasis (*πρόσωπον-ὑπόστασις*)

[21] Mansi, VII, 114 et 115.

eadem notio subicitur; nomini autem naturae (φύσις) alia vis inest neque unquam eius significatio pro illis nominibus sumitur.

Quapropter falso olim Nestoriani et Eutychiani opinabantur et aliqui nunc temporis rerum gestarum scriptores dictitant Chalcedonensem Synodum id quod in Ephesina statutum erat emendasse. Quin imo altera alteram perficit, ita ut praecipuae doctrinae christologicae synthesis seu compositio in oecumenicis Synodis Constantinopoli secundo ac tertio celebratis vigentior liqueat.

Dolendum sane est, quod veteres quidam Chalcedonensis Concilii adversarii, monophysitae quoque vocati, tam illimem, sinceram, integram fidem, ex verbis quibusdam antiquorum perperam intellectis, respuerunt. Quamvis enim repugnarent Eutycheti absurde loquenti de Christi naturarum commixtione, tamen pertinaciter haeserunt pernotae sententiae: « Una natura Dei Verbi incarnata », qua Sanctus Cyrillus Alexandrinus tamquam a S. Athanasio tradita usus est, recto tamen mentis sensu, cum naturam ad ipsam personam significandam transferret. A Chalcedonensibus vero patribus quod in illis vocibus labile et incertum erat prorsus fuit ademptum: aequantes enim nomina quae in trinitaria theologia adhibentur iis, quae Dominicam Incarnationem enuntiant, idem fecerunt naturam et essentiam (οὐσία), idem personam et hypostasim, a quibus duo superiora nomina omnino distinguenda esse putarunt, dum a praedictis dissidentibus aequiparatur natura personae, non autem essentiae. Usitato igitur et puro sermone dicendum est in Deo unam esse naturam, tres personas; in Christo autem unam personam, duas naturas.

Ex nuper allata ratione evenit, ut nunc quoque nonnulli dissidentium coetus in Aegypto, Aethiopia, Syria, Armenia et alibi, in definienda Dominicae Incarnationis doctrina, verbis praecipue a recto tramite deflectere videantur; quod quidem ex eorum liturgicis et theologicis documentis coniectari licet.

Ceterum iam saeculo decimo secundo aliquis, qui apud Ar-

menos summa pollebat auctoritate, quidnam ipse hac de re cogitaret, candido aperiebat eloquio: « Dicimus Christum unam naturam non confusione secundum Eutychem, neque diminutione iuxta Apollinarem, sed iuxta Cyrillum Alexandrinum, qui in libro *Scholiorum adversus Nestorium* ait: Una est natura Verbi incarnati, quemadmodum et Patres docuerunt ... Et nos quoque ex Sanctorum traditione id dicimus, minime vero iuxta heterodoxorum sententiam aut confusionem aut commutationem vel alterationem introducentes in unionem Christi, asserentes unam naturam, sed pro hypostasi, quam in Christo et vos dicitis; quod rectum est atque a nobis concessum, quodque idem valet omnino ac nostrum effatum: Unam naturam ... Nec renuimus dicere "duas naturas", dummodo non intelligatur per divisionem iuxta Nestorium, sed ut inconfusio demonstretur adversus Eutychem et Apollinarem ».[22]

Si tum est culmen gaudii et consummatio laetitiae sanctae cum in rem illud deducitur Psalmi: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum »;[23] si tum Dei gloria maximae omnium utilitati iuncta collucet, cum plena veritas et plena caritas Christi oves consociant, viderint ipsi, quos supra amanter et dolenter memoravimus, an fas sit et expediat se, praesertim ob quandam initio exortam verborum ambiguitatem, adhuc distinere ab Ecclesia una et sancta, fundata in sapphiris,[24] in Prophetis videlicet et Apostolis, ipso summo angulari lapide Christo Iesu![25]

Contra Chalcedonensem fidei professionem vehementer pugnat etiam, extra catholicae religionis saepta latius diffusum, opinionis commentum, cui locus quidam epistulae Pauli Apostoli ad Philippenses[26] temere et perperam intellectus an-

[22] Ita Nerses IV († 1173) in *Libello confessionis fidei*, ad Alexium supremum exercitus byzantini Ducem (I. Cappelletti, *S. Narsetis Clajensis, Armenorum Catholici, opera*, I, Venetiis, 1833, pp. 182-183).

[23] Ps. 132, 1.

[24] Cfr. Is., 54, 11.

[25] Cfr. *Eph.*, 2, 20.

[26] *Philipp.*, 2, 7.

sam et speciem praebuit — kenotica doctrina vocatum — ex quo in Christo Verbi divinitatis ademptio confingitur: nefandum quidem inventum, quod, aeque atque ei oppositus docetismus reprobandum, integrum Incarnationis et Redemptionis mysterium in exsanguia et vana spectra traducit. «In integra... veri hominis perfectaque natura — ita granditer Leo Magnus docet — verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris ».[27]

Quamvis nihil prohibeat quominus humanitas Christi, etiam psychologica via ac ratione, altius investigetur, tamen in arduis huius generis studiis non desunt qui plus aequo vetera linquant, ut nova astruant et auctoritate ac definitione Chalcedonensis Concilii perperam utantur, ut a se elucubrata suffulciant.

Hi humanae Christi naturae statum et conditionem ita provehunt ut eadem reputari videatur subiectum quoddam sui iuris, quasi in ipsius Verbi persona non subsistat. At Chalcedonense Concilium, Ephesino prorsus congruens, lucide asserit utramque Redemptoris nostri naturam « in unam personam atque subsistentiam » convenire vetatque duo in Christo poni individua, ita ut aliquis « homo assumptus », integrae autonomiae compos, penes Verbum collocetur.

S. Leo autem non solum eandem amplectitur sententiam, verum etiam indicat et ostendit fontem, ex quo pura huiusmodi instituta derivat: « Quidquid, ait, a nobis scriptum est, ex apostolica et evangelica probatur sumptum esse doctrina ».[28]

Re quidem vera, Ecclesia a priscis temporibus et scriptis documentis et sermonibus et liturgicis precibus aperte absoluteque profitetur Unigenitum ex substantia Patris Dei Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, Verbum incarnatum, in terris natum esse et passum, crucis stipiti adfixum atque, postquam e sepulcro resurrexerat, ad caelos ascendisse. Praeter haec, Sa-

[27] Ep. 28, 3: *PL* 54, 763. Cfr. Serm. 23, 2 (*PL* 54, 201).
[28] Ep. 152 (*PL* 54, 1123).

crarum Scripturarum eloquia uni Christo, Filio Dei, humana eidemque, Filio hominis, tribuunt divina.

Evangelista siquidem Ioannes declarat: « Verbum caro factum est »;[29] Paulus autem de Eo scribit: « Qui cum in forma Dei esset... humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem »;[30] vel: « At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere »;[31] ac Divinus ipse Redemptor indubitabiliter pronuntiat: « Ego et Pater unum sumus »;[32] et rursus: « Exivi a Patre et veni in mundum ».[33] Superna origo Redemptoris nostri item ex hoc Evangelii loco coruscat: « Descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me ».[34] Atque ex eo: « Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes caelos ».[35] Quem quidem sermonem ita S. Thomas Aquinas commentando collustrat: « Qui descendit, ipse est qui ascendit. In quo designatur unitas personae Dei et hominis. Descendit enim... Filius Dei assumendo humanam naturam, ascendit autem Filius hominis secundum humanam naturam ad vitae immortalis sublimitatem. Et sic est idem Filius Dei, qui descendit et Filius hominis qui ascendit ».[36]

Hanc eandem sententiam praeclare Decessor Noster Leo M. hisce verbis enuntiaverat: « Quia... iustificandis hominibus hoc principaliter opitulatur, quod Unigenitus Dei etiam Filius hominis esse dignatus est, ut ὁμοούσιος Patri Deus, id est unius substantiae, idem homo verus et secundum carnem matri consubstantialis exsisteret; utroque gaudemus, quia non nisi utroque salvamur: in nullo dividentes visibilem ab invisibili, corporeum ab incorporeo, passibilem ab impassibili, palpabilem ab impalpabili, formam servi a forma Dei; quia etsi unum ma-

[29] Ioan., 1, 14.
[30] *Philip.*, 2, 6-8.
[31] *Gal.*, 4, 4.
[32] Ioan., 10, 30.
[33] Ioan., 16, 28.
[34] Ioan., 6, 38.
[35] *Eph.*, 4, 10.
[36] S. Thomas, *Comm. in Ep. ad Ephesios*, c. IV, lect. III, circa finem.

net ab aeternitate, aliud coepit a tempore; quae tamen in unitatem convenerunt, nec separationem possunt habere nec finem ».[37]

Tantummodo igitur si sancta et indemni fide credatur unam in Christo esse personam, Verbi scilicet, in quam duae naturae, prorsus invicem distinctae, divina et humana, diversae quoque proprietatibus et operationibus, confluunt, redemptionis nostrae magnificentia et pietas apparent numquam satis enarrandae.

O celsitas misericordiae et iustitiae Dei, quae sontibus subvenit et filios sibi comparavit! O incurvati deorsum caeli, ut, hiemalibus abscedentibus brumis, flores apparerent in terra nostra[38] et fieremus novi homines, nova creatura, novum figmentum, gens sancta subolesque caelestis! Nimirum Verbum carne sua vere est passum, in cruce sanguinem suum fudit Aeternoque Patri perquam effluens satisfactionis pretium pro nobis noxiis exsolvit: ex quo fit, ut salutis spes certa illis adfulgeat, qui fide non ficta et caritate non segni Ipsi adhaereant et, partae ab Eo gratiae auxilio, iustitiae fructus producant.

Tam insignium et gloriosorum Ecclesiae annalium evocata memoria sponte naturaque sua efficit, ut ad Orientales amantiore paternae voluntatis Nostrae affectu, cogitationes Nostras convertamus. Sacrosancta enim Chalcedonensis universalis Synodus ipsorum praecipuae est monumentum laudis, cuncta haud dubie duraturum per aeva: ibidem siquidem, praeeunte Apostolica Sede, ab ingenti orientalium Episcoporum cohorte doctrina de unitate Christi, in cuius unam personam distincte et inconfuse naturae duae, divina et humana, conveniunt, cum impio ausu adulterata esset, et vigilanter defensa fuit et mirabiliter declarata. At, proh dolor, multi in orientalibus plagis, ab unitate mystici Corporis Christi, cuius hypo-

[37] S. Leonis M. Serm. 30, 6 (*PL* 54, 233 s.).

[38] Cfr. *Cant.*, 2, 11 s.

statica unio est spectatissimum exemplar, longam per saeculorum seriem misere abscesserunt. Nonne id sanctum, salutare Deique voluntati congruens est, ut omnes tandem aliquando ad unicum Christi redeant ovile?

Quod ad Nos attinet, volumus eos id perspectum habere cogitationes Nostras esse pacis, et non adflictionis.[39] Ceteroqui satis constat hoc et opere Nos demonstrasse: quodsi, cogente necessitate, hac in re gloriamur, in Domino gloriamur, qui bonae cuiuslibet voluntatis est dator. Etenim Decessorum Nostrorum vestigia secuti, adsiduam operam navavimus, ut ad Catholicam Ecclesiam reditus Orientalibus facilior evadat: eorum legitimos ritus tutati sumus; studia quae eos spectant provexi-mus; leges iis providas promulgavimus; Sacrum Consilium in Romana Curia pro Ecclesia Orientali constitutum magna sollicitudine affecimus; Armenorum Patriarcham Romanae purpurae decore insignivimus.

Cum recens autem furebat bellum et inopia, inedia, morbi bello parta erant, Nos, nullo discrimine facto hos inter ac illos, qui vocitare Nos patrem solent, ubique allevare ingravescentia mala studuimus: viduis, pueris, senibus, aegrotis auxiliari connisi sumus; o beatiores sane, si adaequare optatis opes valuissemus. Hanc igitur Apostolicam Sedem, cui praeesse est prodesse, hanc divinitus erectam inconcussam veritatis rupem, ii qui calamitosa ob tempora ab ea seiuncti sunt, prae oculis habentes atque imitati Flavianum, novum Ioannem Chrysostomum in rebus asperis pro iustitia obeundis, Chalcedonenses conciliares patres, membra excellentissima mystici Corporis Christi, Marcianum fortem, mitem sapientemque principem, Pulcheriam, lilium regia et intemerata pulchritudine candens, ne tardent debito colere obsequio: ex quo ad Ecclesiae unitatem reditu in commune christiani orbis emolumentum uberem bonorum fontem effluxurum esse prospicimus.

Profecto Nos minime latet inveteratum praeiudicatarum opi-

[39] Cfr. Ierem., 29, 11.

nionum cumulum tenaciter praepedire, quominus in novissima Caena a Christo suppliciter Aeterno Patri adhibitae pro Evangelii asseclis preces: «Ut omnes unum sint»[40] ad felicissimum effectum adducantur. At novimus quoque tantam esse vim precum, si orantes, veluti agmine facto, secura fide et conscientia munda effervescant, ut mons quoque tolli et in mare praeceps agi possit.[41] Optamus igitur et cupimus ut omnes, quibus cordi est studiosa revocatio ad christianam amplectendam unitatem — nemo quidem qui Christi est tantum negotium parvipendat — comprecationes supplicationesque Deo fundant, a quo auctore ordo, unitas, pulchritudo exoriuntur, ut optimi cuiusque digna laude vota in rem haud sero deducantur. Explanat profecto iter, quo assequenda est huiusmodi meta, tranquillior sine ira et studio indagatio, qua magis quam exactis aetatibus vetera gesta retexi atque perpendi nunc solent.

Verumtamen aliud est, quod instantissime efflagitat, ut sub unico signo christiani nominis acies contra inferni hostis turbulentissimos impetus, quam primum coalescant et militent. Quem non terret invidia et feritas, qua osores Dei, in multis terrarum orbis plagis, quidquid est divinum et christianum delere minantur aut evellere contendunt? Contra confoederatos horum cuneos pergere non possunt disiuncti et dispersi morari quotquot, baptismi sacro charactere insigniti, officio suo ad bonum certandum Christi certamen deputantur.

Vincula, cruciatus, tormenta, gemitus, cruor eorum qui, noti vel ignoti, innumera multitudo, recens et nunc quoque ob virtutis constantiam et christianae fidei professionem perpessi sunt et perpetiuntur, voce quadam in dies resonantiore ad sanctam huiusmodi amplexandam Ecclesiae unitatem omnes compellunt.

Spes reditus fratrum et filiorum, iam diu ab Apostolica hac Sede dissidentium, fortior facta est ex tot aliorum fratrum fi-

[40] Ioan., 17, 21.

[41] Cfr. Marc., 11, 23.

liorumque asperata et cruentata martyriis cruce: nemo salutare Dei opus impediat aut neglegat! Ad huius reditus utilitates et gaudia paterno hortatu compellimus et devocamus eos quoque qui Nestoriana et Monophysitica errata placita sequuntur. Persuasum iis esto apostolatus Nostri coronae gemmam a Nobis reputari fulgentissimam, si data sit Nobis copia caritate et honore eos afficiendi qui, eo Nobis cariores sunt, quo maius eorum diuturnus discessus in Nobis desiderium exacuit.

Hoc denique est Nobis in votis, ut, cum, sollerti opera vestra, Venerabiles Fratres, sacrosanctae Chalcedonensis Synodi celebrabitur memoria, inde omnes ad adhaerendum firmissima fide Christo Redemptori nostro et Regi urgeantur. Nemo humanae philosophiae fallacia illectus et humani eloquii ambagibus deceptus Chalcedone sancitum dogma — nempe in Christo veras perfectasque duas esse, divinam et humanam, naturas simul iunctas, non confusas et in una Verbi subsistentes persona — aut dubitando concutiat aut male innovando corrumpat. Arcto potius vinculo iuncti cum Auctore salutis nostrae, qui est « Via conversationis sanctae, Veritas doctrinae divinae, et Vita beatitudinis sempiternae »,[42] omnes in Eo suam redament reparatam naturam, colant redemptam libertatem, et, excussa senilis mundi stultitia, ad spiritualis infantiae vetustatis nesciam sapientiam laetissimi transeant.

Haec flagrantissima optata suscipiat Unus Trinusque Deus, cuius natura est bonitas, cuius voluntas potestas, deprecantibus Deipara Virgine Maria, Sanctis Apostolis Petro et Paulo, Euphemia Chalcedonensi Virgine et Martyre triumphatrici. Vos autem, Venerabiles Fratres, Nostris vestras preces hac de causa adiungite et quae vobis scripsimus facite ut quam plurimis in notitiam perveniant. Quam ob rem grate iam nunc affecti, vobis et universis sacerdotibus et christifidelibus, pro quorum spirituali emolumento vestra excubat cura, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus; qua auspice, Christi Re-

[42] S. Leonis M. Serm. 72, 1 (*PL* 54, 390).

gis non grave neque asperum iugum alacriores suscipiatis et Ei magis magisque humilitate sitis similes, cuius gloriae vultis esse consortes.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VIII mensis Septembris, in festo Nativitatis Mariae Virginis, anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

LITTERAE DECRETALES

BEATAE MARIAE GULIELMAE AEMILIAE DE RODAT, CONGREGATIONIS SORORUM A S. FAMILIA FUNDATRICI, SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ad communem providentissimi Dei legem pertinere videtur, ut homines plerumque per homines ad sempiternam animorum suorum salutem vocentur. Quapropter in omni temporum cursu qui in catholicis viris caelestis Patris voluntatem sunt altius diligentiusque scrutati, ii non tantum prospexerunt ut pietatem virtutemque ipsi excolerent, verum etiam ut quos habuissent heic in terris viae comites, haberent quoque in caelis eiusdem beatitatis consortes. Atque fere quo vehementiore summi Numinis amore ardebant, eo constantius in hanc rem enitebantur et contendebant.

In cuius propositi praeclaro sane est testimonio cum ceteris plurimis Maria Gulielma Aemilia de Rodat, Virgo, Congregationis Sororum a sancta Familia Legifera Mater, quam hodie ad Sanctorum Caelitum honores eveximus; utpote quae et eximiarum virtutum decore praefulserit, et singulari flagraverit animorum iuvandorum studio. Die sexto Septembris mensis, anno millesimo septingentesimo octogesimo septimo, in pago cui vulgo *Druelle* appellatio, e Dioecesi Ruthenensi, in Gallia, ex honestissimis piisque parentibus Ludovico Amante de Rodat, et Henrica de Pomayrols nata, postridie sacro abluta fuit baptismate, eique nomina Mariae Gulielmae Aemiliae indita. Adhuc infantula curae demandata aviae Margaritae de Pomayrols, in pago *Ginals* prope Francopolim, in disciplina huius feminae, religione ac pietate conspicuae, quindecim annos

degit, tanto sane cum animi sui fructu ut, hoc temporis spatio, earum virtutum viam iniret, quarum miranda per totius vitae cursum specimina datura erat: in primis vero pietatis, pudicitiae, in egenosque beneficentiae. Annum duodecimum agens, Eucharistici Panis primum particeps facta, ex hoc vel incensioris pietatis visa est hausisse incitamentum. Non modo propterea in deliciis habebat vacare precibus supernarumque commentationi rerum, sed cum optimis etiam puellis ad multas horas de caelesti gloria protrahere colloquia. Quam spectabilem vitae rationem ad annum decimum quintum usque servavit. A quo tempore, cum in paternam domum revertisset, quamvis nec gravi umquam noxa foedasset animum suum, nec sacri cotidie adesse, nec saepe Paenitentiae Eucharistiaeque sacramentis frui praetermisisset, eius tamen religionis studium tepere aliquatenus coepit. Sed Dei providentia, duos post annos, factum est ut a sacrae Paenitentiae administro, apud quem per Iubilaeum maximum de admissis se accusaverat, tantopere permoveretur ut ad pristinum pietatis studium rediret. Omni propterea vestium ostentatione deposita, summo Deo implorando plusculas cotidie horas tribuere coepit, Angelorum Panem ardentius esurire, Christi patientis iter ad Calvariam repetere, egenorumque, quantum poterat, levare miserias. Nihil igitur mirum si puella, ita ad superna inflammata, divino afflatu ad religiosam capessendam vitam vocata fuit. Quod consilium, ut ad rem, post varia tentamina, deduceret eo precipue die Aemilia incitata fuit, cum, aegrotantes quasdam puellas invisens, earum matres conquerentes audivit, quod. per generale Gallicae reipublicae turbamentum religiosis ordinibus deletis, filiae in maxima omnium officiorum ignoratione ac neglegentia adolescerent. Quarum puellarum, ut plurimum egentium, aeternae saluti consulendi causa, de condenda in hanc rem Sodalitate cogitavit. In consilium idcirco adhibito Antonio Marty sacerdote, suae pietatis magistro, Aemilia indigentes adulescentulas in perangustum suae domus cubiculum congregavit. Utque augescenti in dies necessitati augescens operariorum opera responderet, ad saluberrimum hunc laborem Ursulam Delbreil, Mariam Boutaric et Eleonoram Dutriac sibi ascivit socias: quibus auxiliantibus, anno millesimo octingentesimo sexto decimo, in miseriore urbis Francopolis regione parva conducta domo, gratuitam puellis scholam aperuit, in quam brevi tempore frequentissimae confluxerunt alumnae. Et quamvis institutum opus egestate plurimisque premeretur difficultatibus, tantum abfuit ut Aemilia animum desponderet, ut, de tolerandis incommodis laeta, magis Deo confideret, stimulumque sumeret ad maiora semper eius nomine audenda. Re enim vera, parvo intermisso temporis spatio, praeterquam aliam aperuit scholam adulescentulis non ignobili

genere natis, domum etiam condidit pupillis excipiendis. Quibus inceptis manifesto favit benignissimus Deus. Nam licet, illa tempestate, durissima esset in regione annonae caritas, ea tamen, non modo opem mendicis tulit, verum etiam sui Sodalicii usui monasterium S. Francisci Asisinatis cõemit continentemque domum, in qua sacra aedes erat S. Rocho olim dicata.

Interea, cum condita Sodalitas firmo niteretur fundamento, expedire duxit socias suas religiosa vota, ut privatim iam ipsa fecerat, nuncupare. Quod difficultatibus mirum in modum evictis, quae consilio efficiendo impedimentum afferre videbantur, die octavo mensis Septembris, anno millesimo octingentesimo vicesimo factum est. Ut vero Sodalibus via pateret clarius qua de christianae vitae perfectione anniterentur, Marty sacerdotis consiliis exquisitis, regulas composuit, quibus nova Congregatio, a sanctae Familiae nomine appellanda, administraretur. Quae regulae, post diuturnum factum experimentum, ab Episcopo Ruthenensi, anno millesimo octingentesimo tricesimo secundo, probatae fuerunt. Inter haec, Dei aspirante gratia, ad constitutam Congregationem, quae quattuor iam constabat domibus, alia fiebat laboris accessio. Cum enim Aemilia cognovisset in pago, cui vulgo Vialarels appellatio, pauperum filias, quas inter plures catholicae religionis expertes, miserrimam degere vitam ac necessaria eruditione carere, illuc nonnullas ex alumnis suis misit, quibus esset cordi adulescentularum illarum educatio. Hinc, Episcopo Ruthenensi potissimum auctore, orta est alia Sodalium pars, extra claustra viventium, quibus demandatum erat ut in puellarum scholas operam impenderent, aegrotis domi decumbentibus assiderent, captivos in vinculis inviserent, eisque tum ad animi tum ad corporis necessitates subsidia compararent. Sed ei, quae caelestis Patris amore magis in dies flagrabat, quaeque de hominum sempiterna salute sollicita erat, suscepti labores non erant satis. Quam ob rem, dum coepta maturat, alia aggreditur opera, sive infantibus excepiendis, sive honestioris condicionis puellis instituendis, sive mulierculis ad bonam frugem revocandis. Ita Aemilia adhuc in terris agente, factum est ut nulla fere esset Galliae regio in qua Congregatio a S. Familia esset ignota. Sed statutum iam tempus instabat quo indefatigatae operariae a « Domino messis » iusta tribueretur merces. Quod cum Dei ancilla praesentiret, de futura suae Congregationis fortuna anxia, ut in huius regimen a se designata Sodalis succederet, utque regulas Apostolica Sedes cognosceret impetravit. At non modo a se condito Sodalicio veluti in hereditate relinquebat immensi laboris spectaculum, divinae gloriae animorumque saluti promovendae sumpti, sed potissimum miranda omnium christianarum virtutum

exempla : earum in primis quas theologales et cardinales vocant, atque demissi, patientis, constantis animi, ac plenissimae in caelesti Patre fiduciae. Tantis igitur ornatam meritis ac sanctitudine Famulam suam Deus ad aeternum praemium vocaturus erat. Itaque Francopoli, in principe Congregationis suae domo, nati morbi doloribus patientissime toleratis, supremisque Ecclesiae Sacramentis maxima religione susceptis, atque alumnis suis ad christianam perfectionem exstimulatis, in Christi Iesu cruci affixi amplexu, die undevicesimo mensis Septembris, anno millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo, ad superas sedes evolavit.

Simul ac Dei Famulae obitus pervulgatus est nuntius quamplurimi e clero populoque ad eiusdem corpus invisendum properarunt, qui biduo post triumphali pompa ad curiale S. Iosephi templum delatum est. Nec in eo visum est Caelestis Numinis defuisse signum ; nam, licet quattuor dies inhumatum relictum esset, tamen non modo flexibile atque omnino incorruptum apparuit, sed supernum etiam praeferre gaudium.

Sanctitudinis fama, quam iam vivens Aemilia sibi virtutibus et operibus comparaverat, post eius mortem, ob miracula, quae ea deprecante patrata dicebantur, mirifice increvit ; quare, vix octo ab eius obitu transactis annis, de Beatorum Caelitum honoribus illi decernendis Causa agitari coepta est, et in Curia episcopali Ruthenensi ordinarii, quos vocant, processus confecti sunt, quibus ad S. Rituum Congregationem transmissis ac rite probatis, auctoritate Decessoris Nostri fel. rec. Pii XI, die septimo mensis Martii, anno millesimo octingentesimo septuagesimo secundo, Causae Introductionis decretum promulgatum est. Inquisitiones deinde apostolicae peractae sunt de Servae Dei virtutibus heroum more excultis ; quarum probationes triplici, ut assolet, disceptationi S. Rituum Congregationis subiectae sunt : prima fuit penes cl. mem. Lucidum Mariam S. R. E. Cardinalem Parocchi, Causae Relatorem, die decimo mensis Maii, anno millesimo octingentesimo nonagesimo octavo ; secunda in Aedibus Vaticanis insequenti anno, die vicesimo quinto mensis Iulii ; tertia denique coram fel. rec. Leone XIII, Decessore Nostro, anno millesimo nongentesimo primo, die vicesimo sexto mensis Februarii ; in qua Generali Congregatione astantes omnes concordi sententia censuerunt Mariam Gulielmam Aemiliam de Rodat virtutes tum theologales tum cardinales iisque annexas heroum more coluisse ; eaque de re Summus Pontifex, die undetricesimo mensis Maii, eodem anno, decretum promulgari iussit. Hominum testimonio mox Dei suffragium accedere visum est, cum prodigiales sanationes evenisse dicerentur, deprecatrice Ven. Virgine Aemilia, patratae.

Duae ex his S. Rituum Congregationis examini subiectae fuerunt, deque iis apostolicae inquisitiones in Ruthenensi, Parisiensi et Mechliniensi Curiis adornatae fuerunt; quibus absolutis ac districte expensis et probatis, Nos, die septimo decimo mensis Martii, anno millesimo nongentesimo quadragesimo, arcessitis S. R. E. Cardinalibus cl. mem. Carolo Salotti, tunc S. Rituum Congregationis Praefecto, atque Alexandro Verde, Causae Ponente, et eiusdem S. Congregationis Viro a Secretis, Alfonso Carinci, ac Fidei Promotore Generali, Salvatore Natucci, sacrosancta Hostia rite litata, sollemniter decrevimus: *Constare de duobus miraculis a Deo per Venerabilis Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat intercessionem patratis, nempe: de instantanea perfectaque sanatione tum Mariae Verdier viduae Girard a canceroso tumore in sinistro sinu cum glandularum axillae inflatione; tum Gabrielae Hambrouch viduae Breithoff a peritonite diffusa, acutissima letali cum fistula enterocutanea.*

Unum porro discutiendum erat dubium an, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi posset ad Venerabilis illius Servae Dei beatificationem. De quo dubio actum est, die secundo Aprilis eodem anno, coram Nobis ipsis, qui favorabili omnium sententia habita die quarto decimo eiusdem mensis, sollemniter decrevimus *Tuto procedi posse ad Venerabilis Servae Dei Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat Beatificationem*. Cuius quidem sollemnia in Sacrosancta Patriarchali Basilica Petriana, die nono Iunii mensis eodem anno millesimo nongentesimo quadragesimo, magno cum splendore, ingentique fidelium frequentia celebrata fuere.

Iam vero vix beatorum fastis Maria Gulielma Aemilia de Rodat fuerat adscripta, cum eiusdem Beatae percrebruit cultus, et nova miracula a Deo, illa deprecante, dicebantur patrata. Quapropter enixae Nobis preces porrectae sunt, ut Canonizationis Causa resumeretur; quibus Nos libenter annuentes, propria manu commissionem reassumptionis Causae die sexto Decembris mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo secundo, signavimus.

Aliquot post annos a sollerti Causae Postulatore, dilecto Filio Raymundo Michotte, duae sanationes, quae merito supernae actionis indicia videbantur habere, Sacrae Rituum Congregationis examini exhibitae sunt. Altera sanatio in hac ipsa Alma Urbe anno millesimo nongentesimo quadragesimo quinto ita evenisse dicebatur. Teresia Appetecchia, Laurentii filia, duodeviginti annos nata, a gravi polysierosite tubercolari fuit affecta, quemadmodum non modo medentes a cura, sed et officiales periti ipsumque S. Rituum Congregationis Collegium Medicum affirmarunt iidemque pariter in gravissima edicenda prognosi convenerunt. Adhibitis

incassum curis, Beatae Aemiliae de Rodat patrocinium, per novendiales preces die vicesimo quarto Ianuarii, anno illo, inceptas, imploratum fuit. Iam vero medens, qui, eodem mense ineunte, sanationis spem ademerat, quod iudicium medicus a consultatione plane confirmaverat, die contra vicesimo sexto illam gravibus morbis solutam invenit. Intra paucos dies, morbi reliquiis cessatis, infirma perfecte convaluit: quod praeter naturae leges evenisse unanimis fuit peritorum atque Collegii Medici consensus.

Altera sanatio, in hac pariter Alma Urbe effecta, ita evenisse narratur. Rita Falcone, Armidi filia, trimula, acuta appendicite, die vicesimo secundo Octobris mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo sexto, tentata fuit. Chirurgico ferro dum subicitur, diffusa peritonaei inflammatio in ea inventa quoque est. Die septimo, in melius morbo aliquantulum vergente, arteriae asperae et pulmonum inflammatio accessit, a qua opportune curata puella consanuit. Demum die vicesimo octavo mensis Novembris eodem anno intestinalis occlusio adeo gravis successit, ut pernecessaria prorsus facta sit chirurgica actio, quae illis in adiunctis non modo nullum infirmae attulit solatium, sed in peiorem eam adduxit condicionem, ita ut in eo esset ut proxime moreretur. Parentes Beatam Aemiliam ardentibus precibus invocaverunt, eiusque imaginem puellae ventri tunc apposuerunt. Morbi phaenomena illico attenuantur; paucas post horas occlusio cessat, brevique puella convalescit. Concors fuit diagnosis et gravissima prognosis cum medentium, tum peritorum atque S. Rituum Congregationis Collegii Medici, a quibus omnibus sanationem naturae vires excedere unanimiter affirmatum fuit.

De utraque sanatione processibus rite confectis, post iudicium a Collegio Medico editum, in suetis duabus Congregationibus stricta habita est disceptatio; ac tandem Nos, astantibus venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Clemente Micara, S. Rituum Congregationis Praefecto, et Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore, ac venerabili Fratre Alfonso Carinci, eiusdem S. Congregationis Viro a Secretis, et dilecto Filio Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, die duodecimo Ianuarii mensis huius anni, sollemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis, Beata Maria Gulielma Aemilia de Rodat interveniente, a Deo patratis,* nimirum: *de instantanea perfectaque sanatione cum Teresiae Appetecchia a gravi polysierosite tubercolari, tum puellae Ritae Falcone ab occlusione intestinali mixta, praevalenter mechanica, subsecuta post peritonitem purulentam acutam diffusam.* Quod Decretum promulgari mandavimus.

Ad huius Causae exitum unum tantum ad iuris normam dubium excu-

tiendum deerat: utrum videlicet, duobus miraculis post indultam Beatae illi venerationem rite approbatis, *tuto* ad supremum Canonizationis fastigium Beata Aemilia de Rodat extolli posset.

Quo dubio coram Nobis de more proposito atque concordi favorabili sententia resoluto, Nos, quos supra memoravimus, S. R. E. Cardinalibus, Viro S. Rituum Congregationis a Secretis, et Fidei Promotore Generali astantibus, sacrosancto Missae sacrificio celebrato, die quinto mensis Martii, hoc eodem anno, decrevimus: *Tuto procedi posse ad sollemnem Beatae Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat Canonizationem.*

Quibus omnibus ita peractis, ne a normis a Decessoribus Nostris in tanti momenti re sapientissime constitutis deflecteremus, primum quidem venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales ad diem sextum decimum superioris mensis Martii in Consistorio *secreto* in consueta Aula Palatii Apostolici Vaticani convocavimus, in quo Cardinalis Clemens Micara, S. Congregationis Rituum Praefectus, sermonen habuit de vita et miraculis Beatorum Antonii Mariae Claret, Archiepiscopi Traianopolitani, Fundatoris Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis B. M. V., et Vincentii Mariae Strambi, Episcopi Maceratensis et Tolentini, e Congregatione Clericorum excalceatorum SSmae Crucis et Passionis D. N. I. C., Confessorum; atque Beatarum Mariae Goretti, Virginis et Martyris, ac Mariae Gulielmae Aemiliae de Rodat, Fundatricis Instituti Religiosarum a Sancta Familia, et Mariae Annae de Paredes, Virginum; ac recensuit acta, quae in Causis Beatificationis et Canonizationis eorundem Beatorum et Beatarum S. Rituum Congregatio, praevio accurato examine, admittenda ac probanda censuit.

Qua relatione expleta, Nos Patrum Cardinalium singillatim suffragia exquisivimus, et singuli iidem suam Nobis sententiam aperuerunt. Subinde in eadem aula Consistoriali fuit *Consistorium publicum* pro sollemni peroratione Causarum Canonizationis Beatorum ac Beatarum quos supra diximus, in quo dilecti Filii Aulae Consistorialis Advocati breviter singulatim retulerunt vitam, virtutes et miracula Beatorum illorum, atque pro Canonizatione de more institerunt. Pro Beata Aemilia de Rodat peroravit dilectus Filius Paulus Guidi. Nomine quidem Nostro dilectus Filius respondit Antonius Bacci, Brevium ad Principes a Secretis, qui Nos quoque dixit exoptare Beatos illos, hoc ipso Anno vertente Sacro, supremis decorare Caelitum honoribus, eorumque sanctitatis exempla ad imitandum proponere; attamen, ut Apostolicae Sedis hac in re translaticius mos religiose servaretur, non ante Nos esse de singulis causis decretorium prolaturos iudicium, quam in *Consistorio*, ut aiunt, *semipublico* proximo die vicesimo septimo eiusdem mensis celebrando, ite-

rum Patres Cardinales atque venerabiles Sacrorum Antistites, quotquot in Urbe adfuturi essent, sententiam rogavissemus. Interea vero omnes astantes hortati sumus ut Spiritus Sancti lumen, effusis precibus, menti Nostrae conciliarent. Mandavimus itaque singulis Praesulibus, qui propius a Roma abessent, legitimos de Beatorum illorum vita, virtutibus et miraculis, nec non de actis in eorum Causis commentarios transmitti, ut ipsi, re plene cognita, suam possent edere sententiam.

Die itaque vicesimo septimo Martii Consistorium hoc *semipublicum* habitum est, in quo Nos, astantes Patres Cardinales et Sacrorum Antistites brevi prius sermone allocuti, omnes rogavimus ut singuli dicerent quid de supremis sanctitatis honoribus Beatis quos supra memoravimus decernendis sentirent. Exceptis autem astantium suffragiis, admodum laetati sumus omnes una simul consentientes audivisse, et Nobis quoque in votis esse diximus quinque Beatos illos Caelites ad summum sanctitudinis fastigium evectos declarare, cum id non modo in Catholicae Ecclesiae honorem cessurum esset, sed christianis etiam cuiusvis ordinis foret valde frugiferum, eo quod praeclara optimaque exempla facilius ac vehementius ad virtutem traherent. Statuimus igitur ac decrevimus sollemnes Beatorum illorum Canonizationis caerimonias per Anni Sacri decursum in Vaticana Basilica, Deo adiuvante, peragere. Venerabiles autem Fratres adhortati sumus ne una Nobiscum supplicibus Deo instare precibus desisterent, ut haec feliciter evenirent et in Dei gloriam hominumque salutem plurimum conferrent. De quibus omnibus ut acta iuridica conficerent, Consistorialis Aulae Advocatis rogantibus, Protonotariis Apostolicis mandatum de more est.

Cum hic autem faustissimus a Nobis praestitutus dies, Beatae Mariae Gulielmae de Rodat supremis Caelitum honoribus decernendis advenisset, quam plurimis tam e clero saeculari quam regulari, Romanae Curiae Praesulibus et Officialibus ac venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis et Abbatibus pia supplicatione praeeuntibus in Petrianam Basilicam, magnifico nitentem apparatu et millenis fulgentem lychnis, multis iam stipatam fidelium millibus, quos inter complures Congregationis Sororum a S. Familia sodales, ex Gallia praesertim et e dissitis etiam regionibus fuerunt, ingressi sumus et brevi ante Altare maius effusa prece, ad Cathedram Nostram perreximus. Mox, ut ritus postulat, praestita prius Nobis ab astantibus Patribus Cardinalibus oboedientia, venerabilis Frater Noster Clemens S. R. E. Cardinalis Micara, Episcopus Veliternus, S. Rituum Congregationis Praefectus et Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Paulo Guidi, Consistorialis Aulae Advocato,

instanter, instantius et *instantissime* a Nobis postulavit ut Beatam Gulielman Mariam Aemiliam de Rodat, Virginem, Congregationis Sororum a S. Familia Fundatricem, Sanctarum Virginum honoribus decorare dignaremur. Nos autem per dilectum Filium Antonium Bacci, ab Epistulis ad Principes, respondimus iam tum in tanta illa rerum maiestate sententiam Nostram laturos esse. Una itaque cum astante clero et populo Spiritus Paracliti lumine implorato, Nos, in Cathedra sedentes, ut Summus catholicae Ecclesiae Magister, omnibus aperto capite surgentibus, hanc Canonizationis formulam sic sollemniter pronuntiavimus: *Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Urbe exsistentium consilio; Beatam Mariam Gulielmam Aemiliam de Rodat, Virginem, Sanctam esse decernimus et definimus ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes ab Ecclesia Universali illius memoriam quolibet anno die eius natali, nempe die decima nona septembris, pia devotione recoli debere. In nomine Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spiritus ✠ Sancti. Amen.*

Qua Canonizationis formula a Nobis prolata, precibus annuentes venerabilis quem memoravimus Cardinalis Clementis Micara, per eundem Aulae Consistorialis Advocatum Nobis porrectis, hasce Decretales Litteras confici expedirique iussimus, et astantibus dilectis Filiis Protonotaris Apostolicis, ut de hac ipsa Canonizatione publicum ad perpetuam rei memoriam instrumentum construerent, mandavimus. Mox hymnum *Te Deum* cum clero ac populo canentes, debitas Deo Optimo Maximo gratias egimus, ac deinde novensilis Sanctae patrocinio implorato, breve eius elogium homilia teximus, atque apostolicam benedictionem cum plenaria admissorum indulgentia astantibus peramanter in Domino impertivimus. Deinde ad altare accessimus sacris pontificale ritu operaturi.

Sic ergo istius praeclarissimae Virginis, de christiana religione civilique societate tam optime meritae, consecrata memoria, atque omnibus quae inspicienda erant rite perpensis, certa scientia, Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, universa et singula, quae antea memoravimus, confirmamus, roboramus et iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae denuntiamus. Volumus insuper ut harum Litterarum Decretalium exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae

iisdem praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat has Litteras Nostras definitionis, decreti, mandati et voluntatis infringere vel eis ausu temerario contraire. Si quis autem id attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno maximi Iubilaei millesimo nongentesimo quinquagesimo, die vicesimo tertio mensis Aprilis, Pontificatus Nostri anno duodecimo.

Ego PIUS, Catholicae Ecclesiae Episcopus.

✠ Ego EUGENIUS Episcopus Ostiensis ac Portuensis et S. Rufinae Cardinalis TISSERANT, Sacri Collegii Decanus.

✠ Ego CLEMENS Episcopus Veliternus Cardinalis MICARA.

✠ Ego IOSEPH Episcopus Albanensis Cardinalis PIZZARDO.

✠ Ego BENEDICTUS Episcopus Praenestinus Cardinalis ALOISI MASELLA.

✠ Ego ADEODATUS IOANNES Episcopus Sabinensis et Mandelensis Cardinalis PIAZZA.

✠ Ego FRIDERICUS Episcopus Tusculanus Cardinalis TEDESCHINI, Datarius.

Ego ALEXANDER titulo S. Mariae in Cosmedin Presbyter Cardinalis VERDE.

Ego PETRUS titulo S. Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis FUMASONI BIONDI.

Ego DOMINICUS titulo S. Apollinaris Presbyter Cardinalis IORIO.

Ego MAXIMUS titulo S. Mariae in Porticu Presbyter Cardinalis MASSIMI.

Ego NICOLAUS S. Nicolai in Carcere Tulliano Protodiaconus Cardinalis CANALI, Paenitentiarius Maior.

Ego IOANNES S. Georgii in Velo Aureo Diaconus Cardinalis MERCATI.

Ego IOSEPH S. Eustachii Diaconus Cardinalis BRUNO.

Pro S. R. E. Cancellario

EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

CLEMENS Card. MICARA
S. Rituum Congr. Pro-Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Alfridus Liberati, *Canc. Ap. Adiutor a studiis.*

EXPEDITA

die decima nona Iulii, anno tertio decimo.

Alfridus Marini, *Plumbator.*

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXIX, n. 92. – Aloisius Trussardi, *a tabulario.*

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

ABIDJANENSIS
(DE BOUAKÉ)

VICARIATUS APOSTOLICUS ABIDJANENSIS BIPARTITUR ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE BOUAKÉ NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quo fructuosius et facilius Evangelio inter ethnicos populos disseminando consulatur, quam maxime iuvat Missionum illarum territoria, plerumque latissima, dispertire, aliasque condere, aliis Evangelii praeconibus concredendas. Quo quidem moti consilio, libenti animo annuendum censuimus oblatis Nobis precibus, quibus postulabatur ut, bipartito Vicariatus Apostolici Abidjanensis territorio, pars septentrionalis in novam Praefecturam Apostolicam erigeretur.

Audito itaque dilecto Filio Nostro S. Congregationis Fidei Propagandae S. R. E. Cardinali Praefecto, Nos, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine a Vicariatus Apostolici Abidjanensis territorio totum civilem districtum de Dimbokro et partem districtus civilis de Bouaké, intra limites illius Vicariatus in praesenti exstantem, distrahimus et territorium ita seiunctum in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam de Bouaké appellandam, quam Societati Missionum ad Afros, quae iam diu illic adlaborat, commissam volumus, ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum. Huic igitur novae Praefecturae Apostolicae de Bouaké eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima septima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 58 – Al. Trussardi.

II

DE MOUNDOU

PRAEFECTURAE APOSTOLICAE GAROUENSIS ET ARCIS LAMY ALITER CIRCUMSCRIBUNTUR ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA, DE MOUNDOU APPELLANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Christianae fidei inter gentes, nondum penitus evangelica luce collustratas, plenius prolatandae, recta sane iuvat Missionum circumscriptio atque novarum Missionum constitutio.

Quo moti consilio, audito dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinali Sacrae Congregationi Fidei Propagandae Praefecto, ac suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, atque certa scientia et omnibus mature perpensis, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, prospicere cupientes catholico nomini in regione Tchadensi in Africa Aequatoriali facilius propagando, regionem civilem de *Mayo Kébi* territorio adnectimus Praefecturae Apostolicae Garouensis; civilem regionem *Mediani Chari* territorio adiungimus Praefecturae Apostolicae Arcis Lamy; regionem vero civilem Longonensem in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, *de Moundou* nuncupandam, quam curis committimus Ordinis Fratrum Minorum Capulatorum, ad Nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum. Cui novae Praefecturae Apostolicae de Moundou eiusque pro tempore Praefectis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent; eosque iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis aut excerptis, etiam impressis, manu tamen notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce praesentibus tribueretur ostensis. Nemini autem hanc paginam coniunctionis, erectionis, concessionis, statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu teme-

rario attentare umquam praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die decima septima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 57 - Al. Trussardi.

III

WICHITENSIS
(DODGEPOLITANA)

A DIOECESIS WICHITENSIS TERRITORIO PARS SEPARATUR ET NOVA ERIGITUR DIOECESIS, DODGEPOLITANA NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Fructuosius sane dominici gregis regimini consulitur, si dioecesium territorium, quae tam amplae sint ut ab uno vel vigilantissimo Praesule regi nequeant, dispertiatur aliaeque exinde constituantur dioeceses, aliis concredendae Antistitibus. Quo moti consilio, preces Nobis adhibitas a venerabili Fratre Hamleto Ioanne Cicognani, Archiepiscopo titulo Laodicensi in Phrygia et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegato Apostolico, excipiendas duximus, quibus, habita venerabilium Fratrum Iosephi Elmeri Ritter, Archiepiscopi S. Ludovici, et Marci Kenni Carroll, Episcopi Wichitensis, favorabili sententia, postulabat ut territorii pars ad dioecesim Wichitensem spectans, seiungeretur ad novam exinde dioecesim constituendam. De venerabilium itaque Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Consistorialibus Negotiis praepositorum consulto, atque suppleto, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu,

omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ab amplissimo dioecesis Wichitensis territorio sequentes viginti octo civiles comitatus seiungimus, nempe vulgo *Greeley, Wichite, Scott, Lane, Ness, Rush, Barton, Hamilton, Kearny, Finney, Hodgeman, Pawnee, Stafford, Stanton, Grant, Haskell, Gray, Ford, Edwards, Kiowa, Pratt, Morton, Stevens, Seward, Meade Clark, Comanche* et *Berber,* quorum territorium in novam erigimus et constituimus dioecesim, Dodgepolitanam nuncupandam. Novae huius dioecesis episcopalem sedem Dodgepoli in urbe, vulgo *Dogde City,* a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, constituimus. Templum vero ibidem Sacratissimo Cordi Iesu dicatum ad Ecclesiae Cathedralis dignitatem evehimus; cui idcirco et pro tempore Episcopis Dodgepolitanis omnia tribuimus iura, honores, insignia, privilegia, quibus ceterae Episcopales per orbem Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur; eos pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri locorum Ordinarii astringuntur. Novam insuper hanc cathedralem Ecclesiam suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae S. Ludovici, eiusque Episcopos metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi S. Ludovici. Praeterea usque dum Capitulum Cathedrale constitui nequeat indulgemus ut, ad iuris tramitem, Consultores dioecesani interim eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit, Seminarium dioecesanum, saltem parvum, iuxta sacros canones et S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus traditas normas erigatur, ut adolescentes in sortem Domini vocati in spem Ecclesiae instituantur. Quoad vero attinet ad dioecesis regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, Sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quod autem ad clerum peculiariter attinet, statuimus ut simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Statuimus insuper ut episcopalis mensa novae dioecesis constituatur Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent, praeter ea quae ad hunc finem iam collecta sunt. Volumus denique ut documenta omnia et acta, quae novam dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, quam primum fas erit, a Cancellaria dioecesis Wichitensis ad dioecesis Dodgepolitanae Cancellariam mittantur, ut in huius tabulario religiose serventur. Ad quae omnia perficienda venerabilem quem supra memoravimus Fratrem in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Delegatum Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Delegationi ipsi praesit, deligimus,

eidemque facultates necessarias et opportunas attribuimus, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, et illi onus iniungimus ad S. Congregationem Consistorialem quam primum transmittendi authenticum peractae, exsecutionis actorum exemplum. Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum autem Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, statuti, concessionis, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis autem id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die undevicesima Maii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

Fr. A. I. Card. PIAZZA
S. C. Consistorialis a Secretis

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 78 - Al. Trussardi.

IV

CALCUTTENSIS ET ALIARUM (SAMBALPURENSIS)

E DIOECESIUM CALCUTTENSIS, RANCHIENSIS ET NAGPORENSIS TERRITORIO ALIQUOT DISTRICTUS CIVILES SEIUNGUNTUR ET NOVA EXINDE ERIGITUR DIOECESIS, SAMBALPURENSIS NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Novarum dioecesium in catholico orbe erectionem decernere, quoties id ad catholicam rem magis provehendam et ad dominici gregis bonum satius promovendum necessarium visum fuerit, unius est Romani Pontificis, pro supremo quo fungitur universae Ecclesiae regimine. Quo moti consilio, venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum sententiam excipiendam ratamque habendam censuimus, qua, attento concordi consensu Sacrorum Antistitum Calcuttensis, Ranchiensis et Nagporensis dioecesium, et assentiente venerabili Fratre Leone Petro Kierkels, Archiepiscopo titulo Salaminensi et in India Internuntio Apostolico, novam erigendam Nobis proposuerunt dioecesim ex illarum dioecesium territorio partes aliquot seiungendo. Suppleto igitur, quatenus opus sit, aliorum quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, considerantes praesertim dioecesium quas diximus vastitatem, quorumdam districtuum a dioecesana sede longinquitatem, morum et linguarum quarundam tribuum proprietates ac necessitatem augendi numerum Evangelii praeconum in quibusdam regionibus aborigenum, ad catholicam fidem amplectendam propensiorum, ceteris omnibus mature perpensis ac certa scientia, de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, ex archidioecesis Calcuttensis territorio antiquos districtus separamus: *Rairakhol, Athmallik, Angul, Pallahara, Talcher, Hindol, Dhenkanal,* una cum parte districtus *Sambalpur* et parte orientali districtus *Sonpur;* ex dioecesis Ranchiensis territorio districtus civiles seiungimus, qui antiquis nominibus *Gangpur, Bonai* et *Bamra* nuncupantur; a dioecesis autem Nagporensis territorio districtum *Patna* et partem districtus *Sambalpur,* quae sita est supra ripam dexteram *Mahanadi* fluminis, et occidentalem partem districtus *Sonpur.* Territorium hoc ita seiunctum

in novam erigimus et constituimus dioecesim, ex urbis *Sambalpur* nomine, in qua sedes erit Episcopi, Sambalpurensem appellandam. Novam hanc dioecesim curis committimus Societatis Verbi Divini Sodalium, qui iamdudum fructuose illic allaborant ad Christi regnum prolatandum. Novam hanc dioecesim Sambalpurensem suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Calcuttensi, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico subicimus iuri Archiepiscopi Calcuttensis. Ecclesiam vero, quam Episcopus, hac ipsa die electus, quam primum construendam curabit, in cathedralem constituimus et illi ac pro tempore Episcopis Sambalpurensibus omnia attribuimus iura, honores, insignia, privilegia, favores et gratias, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae earumque Praesules iure communi fruuntur, illosque pariter iisdem astringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri astringuntur. Volumus porro ut donec Canonicorum Capitulum cathedrale constitui poterit, dioecesani consultores ad iuris tramitem interim eligantur et adhibeantur. Mandamus insuper ut quamprimum fieri poterit parvum saltem Seminarium dioecesanum iuxta sacros canones et S. Congregationis Fidei Propagandae traditas normas erigatur, ut iuvenes in sortem Domini vocati in bonum Ecclesiae recte instituantur.

Statuimus insuper ut episcopalis mensa novae dioecesis constituatur Curiae emolumentis et oblationibus, quae a fidelibus, in quorum bonum dioecesis ipsa erecta est, praeberi solent.

Quod vero attinet ad dioecesis istius regimen et administrationem, ad Vicarii Capitularis seu Administratoris, sede vacante, electionem, ad clericorum et fidelium iura et onera aliaque huiusmodi, servanda iubemus quae sacri canones praescribunt. Quoad autem clerum peculiariter spectat, statuimus ut, simul ac hae Litterae Nostrae ad exsecutionem demandatae fuerint, eo ipso clerici Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio legitime degunt. Volumus demum ut documenta et acta omnia, quae novam hanc dioecesim eiusque clericos et fideles respiciunt, quam primum fas erit, a Cancellariis dioecesium Calcuttensis, Ranchiensis et Nagporensis Cancellariae Sambalpurensi tradantur, ut in huius tabulario religiose serventur. Ad quae omnia, uti supra disposita et constituta, perficienda venerabilem quam antea memoravimus in India Internuntium Apostolicum, vel eum qui in exsecutionis actu Internuntiaturae praeerit, deligimus et illi necessarias et opportunas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum eidemque onus iniungimus ad S. Congregationem Fidei Propagandae transmittendi authenticum peractae exsecutionis actorum exemplum.

Praesentes autem Litteras firmas, validas et efficaces esse et fore suosque plenos et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, ac, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, id prorsus irritum et inane esse et fore volumus ac decernimus, contrariis quibuslibet non obstantibus, quibus omnibus derogamus. Harum porro Litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini vero hanc paginam seiunctionis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, commissionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die quarta decima Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
S. Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praefectus.

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Arthurus Mazzoni, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXI, n. 93. – Al. Trussardi.

V

DE LISALA-DE COQUILHATVILLE BASANKUSUENSIS-STANLEYPOLITANUS (ISANGIENSIS)

E VICARIATUUM APOSTOLICORUM DE LISALA, DE COQUILHATVILLE, BASANKUSUENSIS ET STANLEYPOLITANI TERRITORIIS PARTES SEIUNGUNTUR ET NOVA ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA, ISANGIENSIS NUNCUPANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Enascentium inter ethnicos populos Ecclesiarum recta circumscriptio quam maxime iuvat ad catholicam fidem latius faciliusque prolatandam. Quo moti consilio, venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales S. Congregationi Fidei Propagandae praepositi, animo perpendentes in Congo ditionis Belgicae, non mediocre rem catholicam, per Evangelii praeconum e Societate Mariae Montfortana sedulos labores, in Vicariatu Apostolico de Lisala, Congregationi Cordis Mariae concredito, suscepisse incrementum, suffragante venerabili Fratre Petro Sigismondi, Archiepiscopo titulo Neapolitano in Pisidia et in Congo Belgico et in Ruanda Urundi Delegato Apostolico, novam illic constituendam Praefecturam Apostolicam censuerunt. Nos vero, audito venerabili Fratre Sacrae Congregationis Fidei Propagandae a Secretis, Patrum quos diximus Cardinalium sententiam ratam habentes et confirmantes, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, certa scientia ac de apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, totam districtus de *Stanleyville* partem, quae usque adhuc in Vicariatu Apostolico de Lisala continebatur, et reliquas eiusdem districtus partes, intra Vicariatus de Coquilhatville et Vicariatus Basankusuensis limites (parva territorii parte excepta Vicariatui Basankusuensi in posterum servanda) exstantes, atque territorii linguam latitudinis ad quindecim chilometra, pertinentem ad districtum de *Stanleyville* et in Vicariatu Apostolico Stanleypolitano contentam (ita ut tamen ut extremus limes meridionalis novae circumscriptionis ecclesiasticae circulum parallelum secundum attingat et limites, qui ad occidentem versus Vicariatum Basankusuensem pertingunt, ii habeantur, qui ab ipso Delegato Apostolico et ab Ordinariis, quorum interest, descripti

sunt) ab Apostolicis, quos memoravimus, Vicariatibus seiungimus et territorium ita efformatum in novam erigimus et constituimus Praefecturam Apostolicam, *Isangiensem* nomine nuncupandam, quam sollertibus Societatis Mariae Montfortanae curis, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, concredimus. Novae huic Isangiensi Praefecturae Apostolicae eiusque pro tempore Antistitibus omnia attribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceterae per orbem Praefecturae Apostolicae earumque Praesules iure communi fruuntur, eosque pariter iisdem obstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri obstringuntur. Quae omnia, uti supra disposita et constituta, rata ac valida esse et fore volumus et iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Harum vero Litterarum exemplis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis sigilloque viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eandem volumus haberi fidem, quae hisce iisdem haberetur ostensis. Nemini autem hanc paginam disiunctionis, erectionis, constitutionis, commissionis statuti et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die quarta decima Iunii mensis, Pontificatus Nostri anno tertio decimo.

Pro S. R. E. Cancellario
E. Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop Fide Praefectus

Franciscus Hannibal Ferretti, *Prot. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXX, n. 83 - Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

ECCLESIA DEO IN HONOREM B. MARIAE V. SINE PECCATI LABE CONCEPTA DICATA IN OPPIDO, QUOD « BATANGAS » APPELLATUR, INTRA FINES LIPENSIS DIOECESIS, TITULO AC PRIVILEGIIS BASILICAE MINORIS HONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Almae Virgini Deiparae dicata, plurima eaque exculta admodum in universo orbe Templa surgunt, quae fidelium turmae venerabundae solent ac supplices adire, ita ut verum exstet luculenter quod Ipsa, castissimo alvo Redemptorem continens, de Se portendit : « Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes ». Sic quoque in longinquis Philippinis Insulis, infra fines Lipensis Dioeceseos, in oppido non nullius nominis, quod « Batangas » nuncupatur, in honorem Beatissimae Virginis Mariae, sine peccati labe Conceptae, insignis eminet Ecclesia, cuius amplitudine ac nitore pagus ille non mediocriter ornatur. Quae, uti accepimus, paucis abhinc annis terrae motu quassa ac perculsa, ita ut aedificii frons in ruinam procubuerit, cura et industria eiusdem loci Antistitis ac civium, temporum angustia et difficultate annonae minime territorum, reparata est in melius ac restituta. Eadem etiam Sacra Aedes, cum Cathedralis Ecclesia, novissimo bello horride flagrante, penitus eversa sit ac diruta, in praesenti habetur pro Cathedrali, magna utique vi Christifidelium frequens nec non sacrorum rituum splendore piarumque consociationum sedulitate conspicua et illustris. Quo igitur huius Templi decus magis augeretur atque Intaminatae Virginis cultus maiora in dies caperet incrementa, Venerabilis Frater Alafridus Verzosa, Episcopus Lipensis, enixas ad Nos preces detulit, ut Ecclesiam illam ad honorem ac dignitatem Basilicae Minoris evehere dignaremur. Nos autem, quidquid in ampliorem Beatissimae Virginis laudem cedere potest, sollicito studio et animo incenso complectentes, votis ad Nos perlatis libenter statuimus obsecundare. Quapropter, audito quoque Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno atque Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Ecclesiam, Deo in honorem Beatae

Mariae Virginis sine peccati labe Conceptae, in oppido quod « Batangas » appellant, consecratam, intra fines Dioeceseos Lipensis, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* honestamus, omnibus privilegiis ac iuribus adiectis quae Templis hoc modo decoratis rite competunt. Contrariis quibuslibet nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent sive pertinere poterunt, nunc et in posterum, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Februarii, anno MCMXLVIII, Pontificatus Nostri nono.

De speciali Sanctissimi mandato
Pro Domino Cardinali a Secretis Status

I. BAPT. MONTINI
Subst. Secr. St.

II

BEATISSIMA VIRGO MARIA DE SPE, VERNACULO USU « DE RADICE » APPELLATA, TOTIUS DIOECESIS ZAMORENSIS IN MEXICO PATRONA CAELESTIS PROCLAMATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — A qua una mortales sperare audent salutem, qua praesente, melius confidunt rebus in afflictis, Beatam Virginem Mariam de Spe, vernaculo usu « de Radice » dictam et apud Zamoram in Mexicana Dicione veneratam, huius regionis Christifideles usque studiose consueverunt excolere et ad eius Simulacrum se effundere frequentes. Hic quidem cultus in animis incolarum penitus insedit, cum, quam religionem sacrorum alumni in Seminario condiscunt, eadem curiatos perfundant Sacerdotes. Ita factum est ut anno MCMXLIII, prima dimissa Synodo dioecesana, omnes qui ei interfuerunt cum Canonici tum Presbyteri cuperent Beatissimam Virginem Mariam de Spe conspirantes Dioeceseos Caelestem apud Deum Patronam adoptare. Re autem tum infecta, Venerabilis Frater Ioseph Gabriel Anaya y Diez de Bonilla, hodiernus eius loci Praesul, postquam ordines ecclesiasticorum atque laicorum rogavit sententiam, eorundem omnium fere faventium

depromens vota, has preces Nobis adhibuit, ut Beatam Virginem Mariam de Spe totius Dioeceseos Zamorensis Caelestem Patronam renuntiare benigne dignaremur. Nos vero, tam praevalidae Tutricis spem filiis Nostris redintegrare pervolentes, supplicationes huiusmodi libenti animo censuimus admittendas. Quapropter, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, *Beatissimam Virginem Mariam de Spe* Praecipuam totius Dioecesis Zamorensis in Mexico apud Deum Caelestem *Patronam* constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus regionum Patronis rite competunt, additaque facultate adiungendi in extrema VI Lectione Divini Officii haec verba: « Anno autem Sacro vertente millesimo nongentesimo quinquagesimo, Pius Papa Duodecimus eandem Beatissimam Virginem Caelestem apud Deum Patronam totius Dioecesis Zamorensis declaravit atque constituit ». Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulphi, sub anulo Piscatoris, die XXV mensis Septembris, anno MCML, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

III

ECCLESIA CATHEDRALIS COMENSIS BASILICAE MINORIS TITULO HONORIBUSQUE AUGETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Stat sublimis ad auras tholus Templi principis Comensis, quasi signum eius, quae super saeculi fluxa et inania studia eminet, Fidei. Non solum autem moles et amplitudo huius Ecclesiae, Beatae Mariae Virgini Caelo receptae sacrae, probantur in vulgus, sed etiam propter opera et artificia, quibus affluit, eadem municipum ac peregrinatorum omnium consensu dilaudatur. Ad eius quoque officia Canonicorum frequens Collegium ita incumbit, ut stati Deo honores rite persolvantur. Die vero festo Beatae Mariae Virginis ab origine Immaculatae, proximo anno, omnis civitas Comensis gemino exsultavit gaudio, quod Almam Deiparam corpore et anima in Caelum assumptam sollemniter Nos definivimus, atque tholus, sartis detrimentis dudum ei incendio illatis, revocatus est in pristinum splendorem. Quam occasionem nactus, Venerabilis Frater Felix Bonomini, Episcopus Comensis, nomine quoque Cleri et Christifidelium, submisse Nos rogavit, ut Ecclesiam illam dignitate Basilicae Minoris augere dignaremur. Quibus precibus libenti animo concedere statuimus eo consilio, ut populus Comensis ad Dei Genetricem magis excolendam provocaretur eiusque Templo principi plus accederet decoris. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, et omnibus rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, *Ecclesiam Cathedralem Comensem* titulo et honore *Basilicae Minoris* afficimus et exornamus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae Aedibus hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his,

a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Ianuarii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

IV

AD DIGNITATEM ET HONOREM BASILICAE MINORIS EVEHITUR PAROECIALIS ECCLESIA S. MARGARITAE, V. ET M., IN CIVITATE « SANTA MARGHERITA LIGURE », INTRA FINES CLAVARENSIS DIOECESIS EXSTANS.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Quasi plantatio rosae » exaltata in populo christiano, cui dat « suavitatem odoris », Beatissima Virgo Maria, divino testante praeconio, semper habita est, nec de ea aliter sancta canit Ecclesia. Exstat autem in parva civitate, quae a Sancta Margarita Virgine et Martyre Antiochena nuncupatur et, intra Clavarensis dioeceseos fines posita et viretis circumiecta, amoeno imminet Ligurum mari, paroeciale Templum, in quo vetus Deiparae Virginis Mariae « a Rosa » Effigies pie asservatur celebrique gaudet cultu. Ab ipsa enim Liturgicum splendorem ducit eadem Ecclesia, ad quam cives et finitimi pietatis causa erga Marialem ipsam Imaginem peregrinantium more quotannis innumeri confluunt. Ne tantae populi pietati aequa deesset remuneratio, liberaliter accessit Pontificia benignitas, qua a Decessoribus Nostris Clemente Pp. XIV et Pio Pp. VI, fel. rec., insignibus privilegiis cumulata fuit, ac dein Patriarchali Basilicae Liberianae in Urbe, anno MDCCCLXXXXVII, est consociata. Pervetustae illius paroeciae, cuius memoria prope a saeculo XI repetitur, novum Templum, Ianuensis tum Archiepiscopi cura, civium autem sumptibus, exstructum fuit, quod, genere, prout vocant « classico » confectum, undecim quoque miris Altaribus ditatum, amplitudine atque artis magnificentia affluit omniumque, cum pie supplicantium tum advenarum, summam habet admirationem. Quibus omnibus mature perpensis, Venerabilis Frater Franciscus

Marchesani, Episcopus Clavarensis, faustam septuagesimi quinti anni, supra centesimum, opportunitatem nactus, ex quo Dei Genetricis Imago « a Rosa » appellata, est aurea corona redimita, sua nec non hodierni Curionis Clerique dioecesani et in memoratae Ecclesiae ministerio versantis omniumque fidelium vota depromens, enixe a Nobis postulavit ut Ecclesiam paroecialem civitatis « Santa Margherita Ligure » vulgo nuncupatae ad dignitatem Basilicae Minoris evehere dignaremur. Nos porro, ipsius paroeciae antiquitatem novaeque Ecclesiae pulchritudinem attente considerantes, ac praesertim impensam erga Virginem Mariam « a Rosa » civium totiusque dioeceseos fidelium pietatem, quae ut augeatur in dies exoptamus, huiusmodi precibus annuendum perlibenter censuimus. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam paroecialem, Deo in honorem Sanctae Margaritae Virginis et Martyris Antiochenae dicatam et, intra Clavarensis dioecesis fines positam, in civitate italice « Santa Margherita Ligure » exstantem, ad dignitatem et honorem *Basilicae Minoris* evehimus cum omnibus privilegiis et iuribus quae eidem titulo rite conveniunt. Contrariis quibuslibet minime obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVI mensis Ianuarii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

V

TEMPLUM PAROECIALE IN HONOREM B. MARIAE V. DEO CONSECRATUM, IN OPPIDO « PORTUGALETE » FLAVIOBRIGENSIS DIOECESIS, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quemadmodum Beatissima Virgo Maria, summum enixa Deum et hominum Mater, praedicatione per orbem circumfertur, neque id satis pro dignitate ac merito, ita cultiora Templa, eius nomine dedicata, praecipuo in honore non perperam habentur. Quorum numero curialis Aedes oppidi « Portugalete » vulgo nuncupati et intra fines Flaviobrigensis dioeceseos positi, recte accensetur, quae insuper ob vetustatem, amplitudinem, artem et copiam probatur in vulgus. Neque lauta supellex ibi desiderari videtur neque sacerdotum alacre ministerium, ac piae consociationes, iam pridem constitutae, laeta utuntur prosperitate. Quibus permotus, dilectus filius vicarius oeconomus Ecclesiae, quam diximus, submisse Nos rogavit, ut eam Basilicae Minoris honore augere dignaremur. Nos autem, ad Caelorum Reginam amplius excolendam omne ingenium Nostrum atque studium conferentes, votis huiusmodi libenti animo statuimus obsecundare. Audito igitur Venerabili Fratre Nostro Clemente Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Micara, Episcopo Veliterno ac Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefecto, omnibusque rei momentis attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam paroecialem Deo in honorem Beatae Mariae Virginis consecratam atque in oppido « Portugalete », intra fines Flaviobrigensis dioecesis, exstantem, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus et exornamus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae Templis hoc nomine insignibus rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irri-

tumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Februarii, anno MCMLI, Pontificatus Nostri duodecimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
Officium Regens
Pontificiis Diplomatibus expediendis

EPISTULA

AD EM̃UM P. D. ALFRIDUM ILDEFONSUM TIT. SANCTORUM SILVESTRI ET MARTINI AD MONTES S. R. E. PRESB. CARDINALEM SCHUSTER, ARCHIEPISCOPUM MEDIOLANENSEM, QUEM LEGATUM CONSTITUIT AD EUCHARISTICUM CONGRESSUM E TOTA ITALIA ASSISII INEUNDUM.

PIUS PP. XII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — In urbe Assisiensi, quae ob insignem Francisci sanctitatis laudem tanta fama est vulgata per orbem, quaeque ob praeclarum ipsum Italiae Patronum civili quoque cultu gloriaque resplendet, proximo ineunte Septembri mense, Congressio Eucharistica e tota natione sollemniter peragetur. Mirum est, ut etiam loci situs regionisque natura ac facies ad triumphum praecelsi Sacramenti celebrandum aptissima videantur! Ipsa profecto Assisiensis arx veluti augusta Iesu Christi ara conspicienda apparebit. Exinde piae fidelium turbae inter densas oleas vineasque per declive exporrigent sese usque ad Sanctae Mariae Angelorum, omnisque vallis Spoletina, per radiomegaphona in pagis iugisque disseminata, hymnis laudibusque Domino personabit, ita ut in medio Italiae vox quaedam nationis ipsius publice splendideque profiteatur Iesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub velis eucharisticis contineri. Hac sane, quae portenditur, magnifica fidei professione, sententia illa luculenter confirmabitur, quam edidimus in Litteris Encyclicis *Mediator Dei et hominum*: « Christianae religionis caput ac veluti centrum Sanctissimae Eucharistiae Mysterium est » (*Acta Apost. Sedis*, 1947, p. 547). Quum itaque agatur de celebratione

tanti ponderis ac momenti, eidem Nos Ipsi, ut iam enuntiavimus, adesse ac praeesse decrevimus. Te igitur, Dilecte Fili Noster, qui, Ecclesiae Senatus particeps, nobilissimae sedi Mediolanensi moderaris, Legatum Nostrum deligimus atque constituimus, ut, Nostram gerens personam, Eucharistico Congressui ex tota Italia proxime Assisii ineundo sacrisque eius caeremoniis nomine Nostro Nostraque auctoritate praesideas. Pro certo autem habemus te, pro eximia, qua flagras, erga tam admirabile Sacramentum pietate atque observantia, clarissimum mandatum naviter esse feliciterque obiturum. Neque fieri poterit, quin fideles ad gloriosum Seraphici Patriarchae sepulcrum conventuri, ad templum Sanctae Clarae, primae eius alumnae, atque ad cetera magnifica artis monumenta in Umbriae amoenitate accessuri, tot tamque praeclaras Franciscales memorias recolentes, vehementer excitentur ad imitandas heroicas sanctorum virtutes, in primisque intrepidam in Augusto Sacramento fidem atque aestuantem erga Deum et proximos caritatem, quae in omne opus bonum sese effundens ad incrementum Ecclesiae ac patriae prosperitatem felicissime redundet. Quorum quidem salutarium sollemnis celebrationis fructuum in auspicium inque peculiaris Nostri amoris testimonium, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, egregio Episcopo Assisiensi, ceterisque sacrorum Antistitibus, itemque civilibus Magistratibus universisque fidelibus, qui Congressioni Eucharisticae intererunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die II mensis Augusti, anno MDCCCCLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

PIUS PP. XII

NUNTIUS RADIOPHONICUS

CHRISTIFIDELIBUS E TOTA ITALIA OB CONGRESSUM EUCHARISTICUM ASSISII COADUNATIS.*

Venerabili Fratelli e diletti figli,

Presenti, nella Città dello spirito e dell'umile amore, al trionfo eucaristico col quale l'Italia cattolica riprende la serie dei suoi più augusti Congressi, invitiamo non soltanto le folle, che in quest'ora acclamano in Assisi Colui che dà la vita al mondo e con le sue carni la vita alle anime, ma i cuori e le menti di tutti i cattolici italiani, a prostrarsi —

* Datus die 9 Septembris mensis a. 1951.

veneremur cernui — dinanzi all'Ostia santa, fatti con Noi, più che mai in quest'ora solenne, un cuor solo e un'anima sola.

* * *

Christum Regem adoremus! Adoriamo!

Umili credenti, cui basta la fede — *sola fides sufficit* — per aderire al mistero di amore che fa attoniti gli uomini e gli angeli, noi vogliamo, adorando, rendere a Cristo Re dei secoli, l'omaggio pubblico, collettivo, solenne, che a Lui è dovuto da un popolo, da una Nazione cristiana e cattolica, a Lui debitrice del dono inestimabile della fede e di quanto nella sua vita e nella sua storia è grande e glorioso.

Come non soltanto nell'intimo dei cuori scende da Gesù il torrente dei suoi beni, così il culto della sua divina Persona vuol essere non solamente nel segreto di ciascun fedele, ma aperto e comune. Se infatti è manifesto e di tutti il beneficio, di tutti e alla luce del sole dev'essere anche la gratitudine.

Questa poi noi dobbiamo tanto più fervorosamente affermare, quanto più insidiosa è la ostilità e la negazione di Lui da parte del mondo, persecutore di Cristo nella sua Chiesa e nei suoi membri, e unicamente inteso a combatterne e a renderne vana l'azione in tutti i campi della vita individuale e sociale.

L'Italia cattolica, presente in quest'ora alla glorificazione eucaristica di Assisi nelle sue più alte Autorità religiose, politiche e civili, nei rappresentanti dell'Episcopato, del Governo, della coltura, della scienza, delle arti, delle forze armate, di tutte le classi del popolo, stretta come un sol uomo intorno a Gesù, Ostia santa, viva in perpetua attività di bene per questa dolce terra, che è particolarmente sua, l'Italia cattolica, diciamo, ritta col suo Credo, ma umilmente prostrata a più eloquente significazione della sua gloriosa fede, assolve in quest'ora ai piedi di Gesù, ascoso sotto i veli eucaristici, il più alto, il più nobile, il più santo dei suoi doveri. Essa adora riconoscente il suo Dio, il Figlio di Dio fatto uomo e mistico Pane per la redenzione, la giustizia, la giustificazione nostra, per la nostra salvezza e pace, che è del tempo come della eternità.

* * *

Se negli angusti termini di questo Congresso eucaristico la fede e la scienza, la coltura, l'eloquenza, l'arte, la storia hanno portato in fraterna concordia, gradito dono a Gesù eucaristico, il tributo riconoscente dell'ingegno umano, pur tanto inadeguato all'oggetto delle sue

speculazioni e del suo culto dalle multiformi manifestazioni; assai più e meglio fanno questa sera la dotta teologia, la profonda filosofia, l'arte del pensiero, della parola, del canto, prostrandosi in tacita adorazione innanzi al Dio nascosto per esaltare nella fede dell'umile credente il dono inestimabile dell'Eucaristia.

Il dono è Egli stesso — Gesù Cristo — personalmente presente per operare in noi, se secondiamo il suo amore, le meraviglie della vita cristiana, di una vita cioè, che, ordinata secondo il Vangelo, mantiene fervida nei suoi, anche più tiepidi figli, la stima della virtù, la coscienza del bene e del male e impedisce loro di essere definitivamente travolti dalla valanga di errori e di corruzione, che dominano nel mondo.

Presente è Gesù nel Sacramento, per dare, mistico Pane del Cielo, la vita superiore al nostro povero mondo, perpetuando il miracolo dei vergini e dei casti, il miracolo di chi non ha nulla e tutto possiede, i miracoli di quella fraterna carità, che tutti i mali e le offese sopporta con serena fortezza e nulla pensa di aver fatto fin che resta davanti a lei qualche cosa da compiere.

Questi i prodigi dell'Eucaristia; che pertanto ci si rivela quale fu annunziata da Gesù nella sua grande promessa, realtà centrale della sua religione, della vita e della pietà cristiana, avendo Egli sentenziato: « Se non mangerete la carne del Figliuolo dell'uomo e non berrete il suo sangue, non avrete in voi la vita. Chi mangia la mia carne e beve il mio sangue, ha la vita eterna ed io lo risusciterò nell'ultimo giorno ».[1]

E come dei singoli membri, così di tutto il Corpo mistico, l'Eucaristia nutre la vita attraverso le vicende del suo doloroso pellegrinaggio, lo purifica, l'arricchisce in ogni campo, maturando con la santificazione dei membri l'esaltazione e la gloria finale dell'intero Corpo, destinato a trionfare del mondo e dell'inferno per virtù di Chi lo ha redento.

* * *

Trionfo dei giusti, trionfo della Chiesa di Dio, infallibilmente garantito dal glorioso, dall'onnipotente, dall'eterno Verbo Incarnato, fatto cibo nostro sotto le specie del pane!

Trionfo dell'Eucaristia, sconcertante il mondo della incredulità, per lo stridente contrasto, folle alla umana sapienza, tra l'oggetto onorato e l'umile, inerte, bianco disco, l'ostia, appena visibile tra gli ori, le luci, la magnificenza che la circonda, e questa moltitudine, accorsa da ogni

[1] Io. 6, 53-54.

parte, dai monti e dai piani, per acclamarla, in un'onda irresistibile di entusiasmo, che non ha paragone.

In quel minuscolo etereo candore, che si direbbe un nulla, la cattolica Italia, i cui allori di scienza, di coltura, di arte, di storia, non valgono le glorie della sua fede, ravvisa, contempla il suo Dio, il Figlio di Dio fatto uomo, il suo Redentore e Benefattore della umanità, l'Autore delle sue speranze immortali. E inginocchiata innanzi a quell'Ostia adorabile, ardentemente prega: *Christum Regem adoremus dominantem gentibus!*

* * *

Se non che, figli carissimi, questo legittimo tributo di adorazione e di amore, reso da tutto un popolo credente alla velata Maestà del Dio nascosto, la trionfale esaltazione della divina Eucaristia che, a chiusura del vostro Congresso, questa sera vi commuove e vi accende, come agli occhi del mondo è soprattutto l'espressione solenne della vostra fede, così agli occhi di Dio deve essere la solenne affermazione della vostra volontà di vittoria. È la vittoria che Gesù ha riportata sul mondo stesso e sull'inferno; vittoria della quale ci ha dettato le leggi nel suo Vangelo e ci ha dato il pegno nella Santa Eucaristia.

Acclamando in Gesù il vittorioso, voi intendete far vostra la sua vittoria. Vincere il mondo e le potenze dell'inferno voi volete — e dovete — con una vita dove non regni il peccato, e la cui legge suprema sia la Carità, cioè l'amore fattivo del prossimo, sotto il segno di Dio. Vita di alto, di nobile, di disinteressato fraterno amore, che vi additi all'attenzione del mondo, escludendo da voi, nel fatto della vostra fede, ogni nota insincera. Questo è il vostro trionfo. E questo è il grande, il vero trionfo della Chiesa; la quale trionfa del mondo, del male, del peccato, dove di queste forze ostili trionfano i suoi figli. Guardatevi dal mondo corruttore, togliete il male, bandite il peccato da voi, dalle vostre famiglie, e avrete preparato, per quanto è in voi, il trionfo della società cristiana su quella del risorgente paganesimo, auspicata dai nemici di Dio, di Gesù Cristo e dell'opera sua. Avrete contribuito a stabilire una società non più negatrice, almeno di fatto, di Dio, e della sua legge, ma dal timore di Dio stabilmente retta nella persona dei suoi governanti, dei suoi magistrati, dei suoi maestri, dei suoi dirigenti di ogni nome. Avrete lavorato per le fortune di questa diletta Italia, che non può, non deve in nessun modo deporre il suo carattere di nazione cristiana e cattolica, e venir meno alla missione di civiltà spirituale, segnata alla sua storia dalla divina Provvidenza.

Tale è il frutto che Noi attendiamo da questo Congresso eucaristico condotto sotto gli auspici del gran Santo, Francesco d'Assisi, Patrono d'Italia e tanto perfetta immagine di Cristo.

Nè il frutto sarà effimero, se alla divina Eucaristia voi legherete così la vostra vita, da farne l'alimento assiduo dell'anima vostra, il rifugio dello spirito, il riposo del cuore.

Con questi sensi, col cuore grato a Dio e con piena fiducia in una Italia cattolica nuovamente ritemprata nella sua fede e nella sua pietà verso l'augusto Sacramento, Noi chiudiamo questo XIII Congresso eucristico. E mentre imploriamo la grazia fecondatrice dello Spirito, affinchè luminoso resti il ricordo e stabile il vantaggio individuale e sociale di così felice avvenimento; ai presenti in Assisi, ai lontani partecipi e in ascolto, in particolar modo agli infermi e a quanti su tante diverse vie guardano perplessi e non sono ancora in cammino verso il Padre che li aspetta, impartiamo di cuore, pegno di benevolenza, augurio di amore e di pace, l'Apostolica Benedizione.

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa XII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 29 Iunii 1951. — Metropolitanae Ecclesiae Cagayanae, nuper erectae, praefecit Exc. P. D. Iacobum Thomam G. Hayes, hactenus Episcopum Cagayanum.

— Metropolitanae Ecclesiae Cacerensi, nuper erectae, Exc. P. D. Petrum Paulum Santos, hactenus Episcopum Cacerensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Iarensi, nuper erectae, Exc. P. D. Iosephum M. Cuenco, hactenus Episcopum Iarensem.

— Metropolitanae Ecclesiae Novae Segobiae, nuper erectae, Exc. P. D. Iacobum C. Sancho, hactenus Episcopum Novae Segobiae.

die 21 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cidramenae R. D. Franciscum Miranda Vicente, canonicum Capituli metropolitani Toletani, quem deputavit Auxiliarem Emi ac Revmi P. D. Henrici S. R. E. Cardinalis Pla y Deniel, Archiepiscopi Toletani.

die 23 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Dorylaensi, R. D. Henricum Dupont, parochum-decanum S. Petri in oppido vulgo Merville, quem deputavit Auxiliarem Emi ac Revmi P. D. Achillei S. R. E. Cardinalis Liénart, Episcopi Insulensis.

die 31 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Neritonensi Revmum D. Conradum Ursi, Antistitem Urbanum, Rectorem Pontificii Seminarii Regionalis Appuli Pius XI.

die 7 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Anastasiopolitanae Exc. P. D. Theodoricum de Angelis, hactenus Episcopum Nucerinum Paganorum.

die 21 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Rhandensi, Revmum D. Paulum Chevalier, Vicarium Generalem et Archidiaconum Capituli

cathedralis Cenomanensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Georgii Francisci Xaverii M. Grente, Episcopi Cenomanensis.

die 22 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Helensi Revmum D. Iosephum Ioachim Gonçalves, parochum Ecclesiae cathedralis Riopretensis, quem constituit Coadiutorem Exc. P. D. Aloysii Scortegagna, Episcopi Spiritus Sancti.

die 27 Augusti. — Cathedrali Ecclesiae Aurelianensi Exc. P. D. Robertum Picard de la Vacquerie, hactenus Episcopum titularem Doarensem.

die 3 Septembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Cotradensi Exc. P. D. Hugonem Bressane de Araujo, hactenus Episcopum Guaxupensem, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Exc. P. D. Antonii dos Santos Cabral, Archiepiscopi Bellohorizontini.

die 4 Septembris. — Metropolitanae Ecclesiae S. Ludovici in Maragnano Exc. P. D. Iosephum de Medeiros Delgado, hactenus Episcopum Caicoënsem.

die 5 Septembris. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Corinthiensi Revmum D. Ianuarium Verolino, deputatum Nuntium Apostolicum apud Respublicas Guatimalensem et Salvatorianam.

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis Decretis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando, Ssmus Dñus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum :

die 1 Octobris 1950. — Titulari episcopali Ecclesiae Elatensi R. P. Dominicum Tang, Societatis Iesu, praefecit, quem Administratorem Apostolicum Archidioeceseos Coamceuvensis deputavit.

die 10 Maii 1951. — Cathedrali Ecclesiae Ceucevensi, nuper erectae, R. D. Aloisium Li Paiyu, cleri saecularis presbyterum.

die 14 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Aborensi Exc. P. D. Ioannem de Vienne, hactenus Episcopum Tienzinensem.

— Cathedrali Ecclesiae Sambalporensi, noviter erectae, R. P. Hermannum Westermann, iam Praefectum Apostolicum Indorensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Niciotanae R. P. Ioannem Baptistam Duc, quem constituit Vicarium Apostolicum de Vinh.

die 21 Iunii. — Titulari episcopali Ecclesiae Cernitzensi R. P. Aemilium Eliam Verhille, e Congregatione Sancti Spiritus, quem constituit Vicarium Apostolicum Arcia Rousset.

die 5 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Gaurianensi R. P. Ernestum Aurelium Ghiglione, Ordinis Fratrum Minorum, quem constituit Vicarium Apostolicum Bengasinum.

die 10 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Abaradirensi R. P. Ioseph Fady, Societatis Missionariorum Africae, quem constituit Vicarium Apostolicum Likuniensem.

die 12 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Kyotensi, noviter erectae, R. D. Paulum Yoshiyuchi Furuya, iam Praefectum Apostolicum de Kyoto.

— Titulari episcopali Ecclesiae Abiddensi R. P. Guilelmum Duschak, e Societate Verbi Divini, quem constituit Vicarium Apostolicum Calapanensem.

— Cathedrali Ecclesiae Nagporensi R. P. Eugenium Aloisium Reginaldum D'Souza, missionarium Sancti Francisci Salesii de Annecio.

— Cathedrali Ecclesiae Dibrugarhensi, noviter erectae, R. P. Orestem Marengo, Societatis Sancti Francisci Salesii.

2 Augusti. — Titulari episcopali Ecclesiae Abydenae R. D. Lancillottum Goody, parochum in archidioecesi Perthensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Raimundi Prendiville, Archiepiscopi Perthensis.

II

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis, Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit:

die 9 Februarii 1951. — R. P. Eugenium Fahy Societatis Iesu, *Praefectum Apostolicum de Yangchow.*

die 6 Aprilis. — R. P. Petrum Paulum Andrade, Ordinis Fratrum Minorum, *Praefectum Apostolicum Calapanensem.*

die 20 Aprilis. — R. P. Illuminatum Colombo, Ordinis Fratrum Minorum, *Praefectum Apostolicum Misuratensem.*

die 4 Maii. — R. P. Eugenium Maillat, e Missionariis Africae, *Praefectum Apostolicum de Nzerekore.*

die 18 Maii. — R. P. Franciscum J. Doyle, e Missionariis Sacri Cordis, *Praefectum Apostolicum Samaraiensem.*

die 8 Iunii. — R. P. Secundum Garcia, Societatis Sancti Francisci Salesii presbyterum, *Praefectum Apostolicum de Alto Orinoco.*

— R. D. Ioannem Yang Feng-Shu, indigenam sacerdotem, *Praefectum Apostolicum de Iduhsien.*

die 22 Iunii. — R. P. Vincentium Van Beurden, e Congregatione Sacrorum Cordium Iesu et Mariae (Vulgo de Picpus), *Praefectum Apostolicum Kolensem.*

6 Iulii. — R. D. Stephanum Fan Kai-ping, cleri saecularis indigenae, *Praefectum Apostolicum de Chaotung.*

die 17 Iulii. — R. P. Ioannem Arnaud, Societatis Parisiensis missionum ad exteras gentes, *Praefectum Apostolicum Thakhekensem.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

PISANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI IOSEPHI TONIOLO, VIRI LAICI.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Ineffabili Dei misericordia et caritate Christus nos a peccati servitute redemit, *ut adoptionem filiorum reciperemus* (*Gal.*, 4, 5). Quoniam autem universalis est redemptio, omnes ad hanc filiorum divinam adoptionem vocati sunt, ideo homines inter se fratres sunt, docente aperte Domino: *omnes vos fratres estis* (*Mt.*, 23, 8). Quapropter Paulus: *Non est,* scribit, *servus et liber... omnes enim vos unum estis in Christo Iesu* (*Gal.*, 3, 28), *primogenito in multis fratribus* (*Rom.*, 8, 29). Idemque Apostolus Onesimum, Philemonis servum fugitivum, ad fidem conversum, domino uti fratrem remittit et vocat (v. 16).

Haec autem conexio inter omnes homines cuiuscumque condicionis, sublimius in eucharistica Corporis Christi susceptione significatur atque efficitur. Per hanc enim ipse Christus in nobis omnibus vivit, nos sibi coagmentat, vivificat, quodammodo in se transformat, illuminat ac docet: vere sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis! (Aug. in Io. tr. 26).

Ecclesia, huic doctrinae parens, vel ab initio aequales esse coram Domino omnes homines cuiuscumque civilis condicionis sint atque ad eundem tendere finem docuit. Quod quidem actione quoque comprobavit e. gr. agapis, cum divini panis fractione coniunctis, quarum sive liberi sive servi communiter erant participes (Cfr. *I Cor.*, 11, 21, 22, 33, 34). Hinc sensim sine sensu servitutis institutum plene Ecclesiae opera abolitum est atque humanae personae dignitas plene vindicata.

His vestigiis inhaerens hisque principiis fretus, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa XII hanc eandem dignitatem fortiter asseruit.

Insigne monumentum vindicationis huius Summus Pontifex Leo XIII f. r., anno 1891 edidit, Litteras encyclicas, nempe *Rerum Novarum;* in quibus, de opificum condicione pertractans, horum humana divinaque iura sapienter declarat atque acriter defendit, « socialesque quaestiones » resolvit.

Doctissimos in hac encyclica conscribenda consuluit viros, quos inter Servum Dei Iosephum Toniolo, qui incomparabile magisterium de socialibus quaestionibus, iuxta catholicam doctrinam in Pisana studiorum universitate obivit, innumerisque scriptis ac contionibus illustravit.

Quam doctrinam non modo ingenii acumine sibi comparaverat, sed, et praecipue, ab Ipso Divino Magistro assidua prece ac fere cotidiana Eucharistica susceptione hauriebat, uti ex eius vita, quam mox breviter delibamus, apparet.

Servus Dei Tarvisii, die 7 martii, anno 1845 ortus, die 16 eiusdem mensis lustralibus aquis renatus est, cui Iosephi nomen fuit impositum. Bonarum artium studiis, Collegii S. Catharinae alumnus, Venetiis peractis, in Patavina Universitate in iuridica incubuit studia, atque doctor renuntiatus est; paulloque post Venetiis cathedram Oeconomiae politicae, Statisticae, atque administrativi iuris uti « Assistens » tenuit.

Anno 1878, certamine superato, Mutinae ad « Oeconomiae » cathedram electus fuit « extra ordinem Docens », cui disciplinae eodem anno Ius gentium additum fuit. Anno 1879 ad Pisanam Universitatem translatus, post triennium Professor ordinarius « Oeconomiae politicae ac socialis » nec non « Statisticae » factus est, quod munus ad mortem usque laudabiliter exercuit.

Nobilissimum antecessoris officium uti sacrum apostolatum suscepit. Non solum enim in discipulorum animos humanam scientiam doctissimis sermonibus inserebat, sed et hanc cum divina plene consentire ab eaque originem ducere docebat. Acerrimas a Francomurariis aliisque Ecclesiae inimicis luctationes, atque insectationes fortiter sustinuit; verum eorum impii conatus, ut eum e cathedra deturbarent, infracti

sunt. Quum enim a pluribus honestis viris cum eius virtutes, tum praeclarae animi dotes magni aestimarentur, hi valide ei faverunt. Porro in quaestionibus sociologicis, sicut extra Italiam summi viri: Ketteler, Kölping, La Tour du Pin, De Mun, Lorin, de Curtins, de Cepeda, Pottier, Cardinales Manning, Mermillod et Gibbons, aliique praecellebant, ita in Italia noster Dei Servus primas tenuit. Scientia quidem sed et summa pietate eius sermones in Catholicae Actionis, eucharisticis praecipue, conventibus habiti, renident, quam exemplo mirabili comprobabat. Unanimes enim testes asserunt ipsum post sacram Corporis Christi communionem veluti extra se raptum actionis gratiarum preces solitum fuisse effundere.

« Catholicae Actioni » ascriptus primum « Unionem Catholicam » pro socialibus studiis, Mariano Cardinale Rampolla atque Iosepho Callegari, Episcopo Patavino postea Cardinali, faventibus, instituit, deinde strenue pro eiusdem « Actionis Catholicae » propagatione ac reformatione, Beato Pio X auspice, adlaboravit.

Sacrum nuptiale foedus cum Maria Schiratti anno 1878 inivit, in quo septem genuit filios e quibus quatuor, mature Angelis sociati, ad caelum evolarunt, ceteri vero parentibus digni facti sunt.

Die octobris septima anni 1918 pientissime, Ecclesiae Sacramentis perceptis, obdormivit in Domino. Fama sanctitatis erumpente, in Pisana Archiepiscopali Curia atque per rogatoriales litteras in Curiis Vicariatus Romani, Ianuensi, Taurinensi, Mediolanensi, Brixiensi ac Cenetensi ab anno 1934 ad annum 1940, ordinaria auctoritate constructi sunt processus super sanctitatis fama, scriptis atque vetito cultu nor praestito.

Interim a Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Generalibus Ordinum vel Congregationum moderatoribus, Praelatis, Rectoribus ac Professoribus Studiorum Universitatum, Societatibus Catholicae Actionis, aliisque plusquam ducentae Summo Pontifici oblatae sunt litterae Causae Introductionem postulantes.

Scriptis Servi Dei diligenter a pluribus revisoribus attento studio perpensis, summisque laudibus elatis, nil obstare quominus ad ulteriora procedi posse a Sacra hac Congregatione, die 1 iunii anno 1947 decretum est.

Servatis itaque de iure servandis, Rev. P. D. Guidone Anichini Canonico Vaticano, Causae postulatore legitime constituto, instante, infrascriptus Cardinalis S. R. C. Pro-Praefectus causaeque Ponens, in Ordinaria Congregatione ad Vaticanas aedes, die 19 decembris nuper elapsi anni, dubium posuit disceptandum: *An signanda sit commissio In-*

troductionis Causae Servi Dei Iosephi Toniolo in casu et ad effectum de quo agitur, de eaque retulit. Emi ac Rmi Cardinales, relatione hac auscultata, auditis quoque officialium Praelatorum suffragiis nec non R. P. D. Salvatore Natucci, Promotore Generali Fidei, omnibus mature perpensis, rescribendum censuere: *Signandam esse commissionem, si Ssmo placuerit.*

Facta autem ab eodem Promotore Generali, subsignato die, Ssmo D. N. Pio Papae XII relatione, Sanctitas Sua, rescriptum Emorum Patrum ratum habens, *Commissionem Introductionis Causae Servi Dei Iosephi Toniolo* Sua manu dignata est signare.

Datum Romae, die 7 Ianuarii a. D. 1951.

✠ C. Card. MICARA, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

II

YENCHOWFUEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI IOSEPHI FREINADEMETZ, SACERDOTIS MISSIONALIS SOCIETATIS VERBI DIVINI.

SUPER DUBIO

An signanda sit commissio Introductionis causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae (Mc. 16, 15) dixit Dominus, cui invitationi innumeri ab aevo apostolico ad nostrum, volenti animo, effundere quoque sanguinem parati, responderunt; gentesque, christianas veritates, docere sategerunt. Quos inter inclita missionalis Societas Verbi divini insignem filium habere gloriatur, Iosephum Freinademetz.

Qui die 15 aprilis anno 1852 in oppido Badia, Brixinen. Dioecesis, e piis parentibus ortus eodemque die in sacro fonte ad spiritualem vitam est renatus, cui Iosephi nomen impositum. Brixinae in Cassianeo gymnasio dein in Episcopali Seminario bonis artibus ac philosophicis theologicisque disciplinis incubuit, dieque 25 iulii anno 1875 ad sacrum Presbyteratus Ordinem promotus est. Ad missiones inter paganos vocatum ab adulescentia se persentiens, ad Steylensem domum in Hollandia pro mis-

sionibus a Servo Dei Arnoldo Janssen, Societatis Verbi Divini, atque Congregationum Servarum Spiritus Sancti et Servarum Spiritus Sancti de Adoratione perpetua fundatore, conditam advolavit; in qua ad missionalem vitam pientissimo ardore se paravit. Leonis Papae XIII Romae benedictione accepta, die 15 martii a. 1879, Ancona profectus, die 20 aprilis in urbem Hong-Kong, in Sinis, appulit atque a Vicario Apostolico, Episcopo Raimondi, liberali hospitio susceptus, magno cum fervore linguae sinensis studio attendit.

Ad oppidum Polichwang, intra novae missionis Shantung meridionalis fines missus, animorum zelo actus, pedibus plerumque incedens, totum territorium sibi commissum peragrabat, tam efficaciter evangelizando, ut plurimos infideles Christo lucrifecerit. Episcopo Anzer saepe absente, eius vices gerebat. Catechistarum schola ei fuit concredita nec non rectoris domus ac procuratoris munia, aliquando quoque rectoris Seminarii clericorum. Anno 1889, ut nonnullis christianis opitularetur, Praefectum districtus Tsaohsien adivit, iustitiam adepturus, verum e contra, eodem stimulante, nonnulli iuvenes Servum Dei eiusque duos comites aggressi sunt, fustibus percusserunt; per duas tresve leucas per plateas « traxerunt usque in suburbium orientale... Humi iacens, vexantibus se dixit: Cur percutite nos? Amice eos alloquens, iisdem praedicavit donec paulatim omnes dispersi sunt » (Henninghaus, Vic. Ap. Summ. p. 12).

Anno 1900 Boxerum dira insectatione saeviente, Superior Provincialis electus fuit. Bonus pastor, ut christianis auxilium opem ferret, noluit loco declinare et e Sinis abire.

Per octo super viginti annos apostolico ministerio in exemplum est functus, maximo cum animorum fructu, de se nil curans; quare nunquam, ne ad reficiendas vires quidem, in patriam est reversus.

Virtutum omnium mira specimina praebuit, quae sanctitatis famam ei compararunt, non modo apud sodales, sed etiam apud neophytas ipsosque paganos.

Die 28 ianuarii anno 1908, gravi morbo affectus, quem infirmis assistens contraxit, durissimis doloribus cruciatus, quos patientissime toleravit, Ecclesiae Sacramentis refectus, lectissimum spiritum exhalavit.

Sanctitatis fama erumpente, ordinaria auctoritate, nonnullis necessariis dispensationibus obtentis, in Sinis informativae inquisitiones peractae sunt atque per rogatoriales litteras in Brixinensi Curia. In quibus de scriptis quoque atque de liturgico cultu non praestito actum est. Iamvero scripta fuerunt duobus theologis censoribus examinanda proposita, quorum iudicia plenariae Cardinalium Congregationi subiecta sunt

atque duo favorabilia decreta diebus 20 novembris a. 1940 et 2 augusti a. 1942 edita sunt.

Plures quoque litterae, causae Introductionem postulantes, Summo Pontifici porrectae sunt a Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis aliisque praeclaris viris.

Paratis itaque de iure servandis, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis coetu die 12 huius mensis habito, Rmo D. Godefrido Groessl, causae postulatore, instante, subscriptus Cardinalis S. R. C. Pro-Praefectus Causaeque Ponens, dubium proposuit disceptandum : *An signanda sit commissio Introductionis causae huius Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur,* de eaque retulit. Emi ac Rmi Cardinales relatione auscultata, perpensis quoque officialium Praelatorum suffragiis, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali, rescribere censuerunt : *Signandam esse commissionem Introductionis causae si Smo placuerit.*

Facta autem ab infrascripto, subsignata die, Summo Pontifici relatione, Sanctitas Sua, rescriptum Emorum Patrum ratum habens, *commissionem Introductionis causae Servi Dei Iosephi Freinademetz* Sua manu signare dignata est.

Datum Romae, die 22 Iunii a. D. 1951.

✠ C. Card. Micara, Ep. Velitern., *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

† A. Carinci, Archiep. Seleuc., *Secretarius*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

SEGRETERIA DI STATO

NOMINE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XII, felicemente regnante si è degnato di nominare:

10 febbraio 1947. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Segura y Saenz Pietro, *Protettore delle Suore della Sacra Famiglia* (Barcellona).

24 » 1951. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore del Sacro Cuore di Gesù* (Ragusa).

13 marzo » L'Emo e Revmo Signor Cardinale van Roey Giuseppe Ernesto, *Protettore delle Figlie di Maria e Giuseppe, dette Dame di Maria* (Malines).

25 aprile » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore di S. Giovanni Battista* (Roma).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore del Pontificio Collegio Scozzese* (Roma).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Piazza Adeodato Giovanni, *Protettore dei Carmelitani dell'Antica Osservanza* (Roma).

9 maggio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Copello Giacomo Luigi, *Protettore delle Suore della Mercede del Divino Maestro* (Buenos Aires).

10 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Povere Suore Bonaerensi di S. Giuseppe sotto il patrocinio della B. V. M. del Carmine* (Buenos Aires).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore della Congregazione dei Figli della Sacra Famiglia* (Barcellona).

» » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore della Piccola Compagnia di Maria* (Roma).

11 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Domenicane di San Sisto Vecchio* (Roma).

15 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Orsoline del Sacro Cuore di Gesù Agonizzante* (Roma).

1 giugno » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Ruffini Ernesto, *Protettore delle Suore Serve dei Poveri del « Boccone del Povero »* (Palermo).

9 giugno 1951. L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore Francescane Ospedaliere Portoghesi* (Porto).

18 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore dei Figli di Maria Immacolata, Pavoniani* (Brescia).

20 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Canali Nicola, *Protettore delle Suore Missionarie Domenicane del Sacratissimo Cuore di Gesù* (Salisbury).

5 luglio » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Aloisi Masella Benedetto, *Protettore delle Figlie di Gesù* (Salamanca).

13 » » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Micara Clemente, *Protettore delle Suore della Carità di Santa Croce di Ingenbohl.*

20 agosto » L'Emo e Revmo Signor Cardinale Pizzardo Giuseppe, *Protettore delle Suore Missionarie Francescane dell'Immacolata Concezione* (Roma).

5 settembre » S. E. Revma Mons. Verolino Gennaro, Arcivescovo tit. di Corinto, *Nunzio Apostolico nelle Repubbliche di Guatemala e El Salvador.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

13 novembre 1946. S. E. Revma Monsig. Dias Giuseppe del Patrocinio, Vescovo di Beja.

8 dicembre » S. E. Revma Monsig. De Jesus y Souza Agostino Vescovo di Oporto.

30 marzo 1948. S. E. Revma Mc Namara Giovanni Michele, Vescovo tit. di Eumenia.

3 febbraio 1949. S. E. Revma Monsig. Gsell Francesco Saverio, Vescovo tit. di Paro.

26 luglio 1950. S. E. Revma Monsig. Liston Giacomo Michele, Vescovo di Auckland.

19 dicembre » S. E. Revma Monsig. Carinci Alfonso, Arcivescovo tit. di Seleucia d'Isauria.

14 aprile 1951. S. E. Revma Monsig. Garriga Mariano Simon, Vescovo di Corpus Christi.

16 aprile » S. E. Revma Monsig. Bucko Giovanni, Vescovo tit. di Cadi.

7 maggio » S. E. Revma Monsig. Gercke Daniele Giacomo, Vescovo di Tucson.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

30 dicembre 1949. Monsig. Emery Leonardo, dell'arcidiocesi di Birmingham.

9 maggio 1950. Monsig. Rosa Emanuele Francesco, della diocesi di Piracicaba.

24 ottobre » Monsig. Neis Leopoldo, dell'arcidiocesi di Porto Alegre.

PONTIFICIA ACADEMIA SCIENTIARUM

COMMENTATIONES

N. 3 – ANTONIO TADDEI

LE LACERTE (ARHAEOLACERTA E PODARCIS) DELL'ISTRIA E DELLA DALMAZIA

pp. 137-168 L. 260

N. 4 – GIOV. BATT. RIZZA

SULLE FUNZIONI ANALITICHE NELLE ALGEBRE IPERCOMPLESSE

pp. 169-196 L. 230

N. 5 – ANTONIO TADDEI

LA LACERTA (LACERTA) IN ITALIA

pp. 197-220, 2 fig. L. 215

N. 6 – JOSÉ G. SINERIZ

LA REDUCCION TOPOGRAFICA EN LA PROSPECCIONE CON GRAVIMETRO

pp. 221-240, 4 fig. L. 200

ACTA

N. 5 – ETTORE FUNAROLI

SUL CALCOLO DI SCHIERE ALARI DI PROFILI SOTTILI DI CURVATURA NON TRASCURABILE

pp. 45-56, 2 fig. L. 120

N. 6 – D. B. SCOTT

ON THE FUNDAMENTAL THEOREM FOR POINT-POINT CORRESPONDENCES WITH VALENCY ON AN ALGEBRAIC SURFACE

pp. 57-62 L. 50

7 – FRANCESCO CEDRANGOLO – ENZO LEONE – DOMENICO ZIMMARINO

AZIONE DELLA STREPTOMICINA SULLA SINTESI DELLA CLOROFILLA NELL'HORDEUM VULGARE

pp. 63-70 L. 65

N. 8 – P. DRUMAUX

LE MOUVEMENT DE RECESSION DES NÉBULEUSES EXTRO-GALACTIQUES

2e partie pp. 71-86 L. 130

N. 9 – MODESTO PANETTI

IL PROBLEMA STATICO E COSTRUTTIVO DEL COMPLESSO DI DUE TUBI FRA LORO ORTOGONALI SOGGETTI A SOPRAPRESSIONE E DEPRESSIONE INTERNA NELLE GALLERIE AERODINAMICHE A CIRCUITO CHIUSO

pp. 87-106 L. 200

Veneunt apud: LIBRERIA EDITRICE VATICANA

LIBRERIA EDITRICE VATICANA
CITTÀ DEL VATICANO

PONTIFICALE ROMANUM

Quatuor volumina in folio (cm. 30½ × 44½ — 22 × 33), charta optima, typis rubris ac nigris, cum pulcherrimis incisionibus aeneis.

Perfecte referunt editionem illam accuratissimam, quam Revma Camera Apostolica in lucem prodidit; cui tamen ea omnia opportune adiecta sunt, quae eam utiliter complent.

Quatuor volumina (I, II, III, IV et Appendix) soluta: Lit. 18.000 ($ 30).

Cum dorso corio contecto, planis autem operimentis linteo protectis, sectione foliorum aurea, cruce aurea in anteriore ac posteriore parte impressa; ac praeterea cum titulis in dorso, cum signaculis et cum apto pro unoquoque volumine tegumento: Lit. 35.000 ($ 60).

Corio caprino contecta per totum, cum aureis ornamentis atque aurea cruce in anteriore ac posteriore parte impressa, cum sectione foliorum aurea cum dorso titulis ornato, cum signaculis opportunisque pro unoquoque volumine tegumentis: Lit. 50.000 ($ 90).

Ut supra; ac praeterea interna operimenti parte aureis ornamentis in marginibus decorata ac serico linteo protecta: Lit. 60.000 ($ 110).

Sac. ALAPHRIDUS OTTAVIANI

INSTITUTIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

EDITIO TERTIA

Vol. I, **Ecclesiae constitutio socialis et potestas**, pp. XVI-452. 1947. Lib. 1000 ($ 2)
Vol. II, **Ecclesia et Status**, pp. VII-497. 1948. Lib. 1000 ($ 2)

COMPENDIUM IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

in usum Auditorum S. Theologiae, pp. VIII-504, Editio altera, iterum impressa, 1948
L. 800 ($ 1,60)

PETRI Card. GASPARRI

TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO

Editio nova ad mentem Codicis I. C. – Vol. I, pp. 472 – Vol. II, cum alligatis. In brochure, pp. 620
In Italia L. 700 — Estero $ 1,50

CATECHISMUS CATHOLICUS

In-12, pp. 488 – In Italia L. 100 – Estero $ 0,40

CODEX IURIS CANONICI

Volumina pro varia forma pretium:

editio in-32° (cm. 8×12), volumen ex charta indica, linteo anglico contectum cum titulo aureo Lit. 1300 ($ 2,50);

editio in-12° cum Fontium annotatione (cm. 12,5×19,5), volumen solutum Lit. 1200 ($ 2,20) Linteo contectum Lit. 1500 ($ 3);

editio in-18° (cm. 9,5×15), volumen solutum Lit. 700 ($ 1,30). Linteo contectum Lit. 1000 ($ 1,80);

editio in-8°, cum Fontium annotatione (cm. 16,5×26), volumen solutum Lit. 800 ($ 1,50).